LVTV
LI

Theolog

T. 9


BIBL. NAZ.
163
B
17
NAPOLI


BIBL. NAZ.
63
B
17
NAPOLI



THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES.
TOM. III.



MICH. ARCHANGELI LVPVLI

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE ECCLESIAE COMPSANAE ARCHIEPISCOPI

THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES

TOM. III.

EDITIO ALTERA.




In antiq. gemma ap. Auctorem





NEAPOLI
EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA
MDCCCXXX





THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES

LIBER SECUNDUS

DE
SANCTISSIMAE TRINITATIS
MYSTERIO.

VNIUS Summi Dei in essentia unitatem, et in personis discrimen, quo veluti fundamento superaedificata universa Catholicae religionis nititur moles, quodque per aenigmata in vetusti Foederis Tabulis traditum erat, ipse primum Dominus noster Christianae Vniversitatis conditor, hominumque reparator Christus palam reseravit; sancivitque, ut

quod Synagoga non crederet, quod philosophia non saperet, aditus foret ad Ecclesiam, fundamentum ad fidem, tyrocinium ad gloriam. Haud alius enim altissimo aperiendo Sacramento par esse umquam poterat, quam qui e sinu Patris egressus a Deo venerat Magister, neque alius tam idoneus doctrinae populus, quam quem ipse sibi mandaverat Christus. Mirum tamen est quibus magnis ausis, conatibusque furibunda inferorum rabies praecipuum id Religionis dogma invadere, et exscindere adtentarit, partim haereticorum pervicacia, nefandisque machinationibus instructa, partim armis potentiae saecularis armata, ut nulla profecto errorum pestis grassaverit latius, diutius insultaverit, atque iterum iterumque ex fumantibus cineribus perniciosius revixerit. Adversus hinc huiusmodi nebulones, perennes illos diaboli legatos, qui rem catholicam exercitam nullo non tempore habuerunt, capitale propugnaturi dogma iam nunc in arenam descendimus.

Cap. I.

DIVINAE TRINITATIS MYSTERIUM OMNINO INCOMPREHENSIBILE.

I. In locum adpropinquamus caliginosum, in quo una lucet lucerna, altissimus Deus nimirum, qui nobis adhuc in terrena peregrinatione errantibus impervium, sanctumque de se aperit arcanum. Procul hinc humana ratio, tuque ante impenetrabilis Templi fores humana resiste sapientia. Sacramentum Regis Aeterni supra rationem, et supra philosophiam non investigando scrutemur, sed in fide ambulantes credamus. Credamus Deum in unitate trinum, in trinitate unum; Unum Deum, et in uno tres Personas, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unam Divinitatem, unam substantiam, sive naturam; Patrem a nullo fonte procedentem, ipsum autem ceterarum Personarum fontem, et originem; Filium a Patre non creatum, sed ineffabiliter genitum; Spiritum Sanctum a Patre, et Filio non creatum, sed procedentem.

II. Abditam usque adeo veritatem ecquis

umquam mortalium una ductus ratione pervadet (1)? Nihil sane propinquius Cheru-

---

(1) Quod arcanum humani intellectus aciem adprime transcendit, ut loquitur Anselmus, mirum est, adeo quibusdam visum esse naturae lumini obvium, perviumque, ut non cognosci modo, sed perspicuis demonstrationibus ostendi posse docuerint. Adeo nempe desipuerunt saeculo V. Claudianus Mamertius Viennensis Ecclesiae in Gallia Presbyter *Lib. II. de Stat. Anim. cap. VII. in Biblioch. Patr. tom. V. par. 1. edit. Colon.* Et saeculo XII. Petrus Abaelardus, teste S. Bernardo *Ep. CXC. ad Innocent.* Itemque Raymundus Lullus *Lib. de artic. fid. et de demonstr. aequipar.* quamvis iste, si Vasquesio fides, infusum aliquod Spiritus Sancti lumen desiderare videatur. His interim missis, quorum momenta opportuniori loco expendemus, mihi res omnis ad unum Platonem deducta videtur, qui omnium ad Catholicam de Divina Trinitate confessionem proxime visus est accessisse. Operae pretium igitur est Platonis doctrinam exponere, mox et varia de eadem Patrum, Theologorumque iudicia proferre.

Summo bono, mente, et anima mundi Platonica Trinitas constat. Summum ille bonum adpellat Patrem, mentem vero ab eo genitam, Filium. *Lib. IV. de Rep.* Eumdem Filium Solem intelligibilem adpellat, bonique ideam, quae et veritatem iis, quae intelliguntur, et vim intelligendi largiatur. Mundi animam Regiam vocat in

bimis, et Seraphimis, isti attamen unius Maiestatis praesentiam non obtuentur, sed

---

Philebo, ubi ait; *Ergo in Iovis ipsius natura regiam animam, regiamque mentem inesse propter vim caussae confiteberis.* Tria haec aeterna esse, et immutabilia multis locis edicit, ut in *Hippia Majori*, ubi de sapientia, bono, et pulchro disputat, quo pulchra, et bona sunt; quaecumque sunt bona, et pulchra; et sapientes quicumque sapiunt. Expressius hanc Trinitatem insinuat Plato in *Epist. ad Dionysium. Dicendum est nunc tibi per aenigmata quaedam, ut si quid tabellae, vel mari, vel terrae contingat, qui eam legit, intelligere nequeat. Est autem ita: circa omnium Regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia, ipse pulchrorum omnium caussa: circa secundum secunda; tertia circa tertium.*

His sane Platonis verbis, *non aliter ego intelligo*, ait Clemens Alexandrinus *Lib. V. Strom. quam Sanctam significari Trinitatem; nam tertium quidem esse Spiritum Sanctum, Filium autem secundum, per quem facta sunt omnia ex voluntate Patris.* Eamdem Platonis doctrinam a Catholica vel solo nomine dissentire adfirmat Nazianzenus *Orat. XXXVIII.* Athanasius vero *de decretis Synodi Nicaenae* Arianos reprehendit, quod a Platonicis dogmatibus ideo deficerent, quod hi quum mentem ex bono, et ex mente omnia oriunda dicunt, non se ea de caussa maiestatem primi, unde mens et omnia originem

adoperta facie triplicis Sanctitatis melos integrant : SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS

---

desumunt, diminuere arbitrantur. Cyrillus item Alexandrinus *Lib.* 1. *contr. Iulian.* ex Porphyrio Dei subsistentiam ex Platonis doctrina usque ad tres hypostases procedere ait.

Ceterum haec Patrum dicta non eo pertinent, ut naturae lumine ductus ad hanc Mysterii altitudinem evaserit Plato, sed quod illam ex sacris litteris, ex Salomonis praesertim libris hauserit, in quibus tam luculenter Divina Sapientia primogenita ante omnem creaturam praedicatur. Is enim erat priscorum temporum usus, ut Sapientes non domi quiescerent, sed provincias, et regiones remotissimas peragrarent, sapientiam, et sparsas ubique terrarum de Deo traditiones venaturi, quas longis hinc meditationibus concoctas, et digestas, in suos commentarios transferebant. Platonis porro peregrinationes Graeci, Latinique Scriptores passim testantur, et ipsa quoque summi philosophi scripta. Accedit, quod in Phoeniciam tunc temporis praesertim perreptare consueverant Philosophi, et in finitimam illi Aegyptum. Quamobrem hinc ab Hebraeis sapientibus, et a Sacris Scripturis (ante enim LXX. interpretum aetatem veteris testamenti versio quaedam Graeca circumferebatur, ut narrat Aristobulus apud Euseb. *Praep. Evang. cap. VI.*) multa de Deo didicerunt, quae sanae philosophiae consentanea videbantur. Id sane Plato iterum iterumque testa-

DOMINVS, in triplici Sanctitate tres perfectas, absolutas, integras Personas testantur, multa se nimirum accepisse, multaque in sua scripta congessisse ex antiquis sermonibus, rumoribusque de Deo, et de Sapientia. Multa ille in libris Mosis, et in Salomonis sapientia versatus edixit, sed pretiosissimum centonem ex *Lib. VI. de Rep.* huc adducam, in quo aperte de Patre, et Filio ita edisserit, ut simillimum Patri Filium dicat, ut geminas hypostases constituat: *Ceterum, o Viri felices, quid sit ipsum bonum, in praesentia dimittamus. Est enim, ut mihi videtur, praesertim supra contemplationem. Quis autem appareat boni ipsius Filius, quidque similius ei sit, si vobis placet, dicam; sin minus, dimittam. Dic age. Patrem vero postea declarabis. Vellem equidem, ut et ipse explicare possem, et vos percipere, non solum ut nunc, prolem, sed et prolem, et posteros ipsius boni. Hunc ergo ad praesens partum boni ipsius, Filiumque accipite. Cavete tamen ut inscius ipse vos decipiam; vanam reddens de Filio rationem.* At haec qualiacumque sunt non a ratione, non a philosophia ipse se testatur hausisse in *Timaeo*, sed ab auctoritate Sapientum, a Prudentum traditionibus. Immo accedit, quod ex Theodoreto *in Curat. Graecar. affect. serm. II.* accipimus, Numenium illum Pythagoricum in libris suis scripsisse: *quid enim aliud est Plato, quam atticus quidam Moyses*; nimirum adeo in Mosis theologia

tes, unaque in Dominatione unam substantiam declarantes.

---

profecerat Plato! Quod et Aristobulus antiquissimus Iudaeorum scriptor confirmat apud Clementem Alexandrinum *Stromat. Lib. I.* Iosephus *Lib. II. contr. Apion.* S. Iustinus *Apolog. I num.* 60. Eusebius *Praepar. Evang. Lib. XIII.cap. XII.*

Illa tamen summa Platonis laus est, quam Claudianus Mamertius *Lib. II. de statu animae* eidem detulit: *quo fit, ut mirari admodum digne nequeam huius Platonis animum, qui tantis quidem saeculis ante puerperium Virginis, ante praedicatam Summae Trinitatis in Gentibus unitatem, ineffabilem unum, tres in divinitate Personas laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quaesivit, invenit, prodidit, Patrem Deum, paternamque mentem, artem sive consilium, nec non et utriusque horum amorem mutuum, unam, summam, aequiternam, indivisam divinitatem, non solum credi oportere docuit, sed etiam esse convicit.*

Stomachum haec Petavio faciunt, qui Platoni semper infestus, Arianam perfidiam eius commentis armatam scribit, eumque omnium haereticorum commentarium adpellatum a Tertulliano, hoc praecipue in mysterio, larva quadam Trinitatis, Catholicae veritati illusisse. Sed ego quemadmodum Platonis hac de re sententiam praestari nolim, ita ab eodem gratias Petavio agendas censeo, quod eam illi notam inusserit, quam Patribus

III. Homo at rationis suae imbecillitatem non adhuc videt! Non enim aliud Iudaeos

---

Antenicaenis impingere non est veritus. Ceterum utcumque Petavio demus ad Arianas partes pertinere Platonicam doctrinam, certe hoc ipsum magnum est, Ethnicum hominem tam magnifice de Verbo Dei sensisse, et disseruisse, sexcentis ante Arianos annis, quam nec illi ipsi post Evangelii lucem ubique diffusam praedicaverint, ut recte clarissimus Thomasinus *Theol. Dogm. cap. XXXV.*

Quid porro de Platonicis dicam philosophis, qui post adventum Redemptoris nostri, post Evangelicam doctrinam longe lateque disseminatam scripserunt? Multa enimvero, eaque praeclara habent de Trinitate Plutarchus, Plotinus, Amelius, sed omnia ex ipso Evangelio conrasa. Cunctorum instar Amelius ipse sit, qui Porphyrii scholae praefuit, quique et aeternitati Verbi, et divinitati, et incarnationi secundum Ioannis Evangelium adsentiebatur. *Et hoc*, sic enim scribit Amelius, *ergo erat Verbum*, *secundum quod semper fuerunt*, *quae facta sunt*; *sicut et Heracletus ipse censeret*, *et ita per Iovem. barbarus homo* (Ioannes Evangelista) *censet*, *in principii loco sic dignitate Verbum apud Deum constitutum*, *Deumque esse*, *per quem absolute omnia facta sunt. Quod itaque factum est*, *in eo dicit et vivens*, *et vitam*, *et ens fuisse. In corpus autem illapsum carnemque indutum apparuisse hominem*,

primum, et Gentiles postea absterruit, quin disseminatam a Christo, et ab Apostolis

---

in quo tamen et naturae suae magnificentia tunc ostenderit. Cumque morte obita solveretur, rursus ad divinitatem rediisse adfirmat, Deumque esse, qualis videlicet prius fuerit, quam in carneum corpus, hominemque descenderet. Confer Theodoret. *loc. cit.*

Fortasse, nisi maxime fallor, et huc alludit Sanctus Augustinus *Lib. VIII. Confes. cap. IX.* ubi se legisse in quibusdam Platonicorum libris testatur, primum caput Evangelii S. Ioannis *in Principio erat Verbum*, sed non iisdem plane verbis, quod et iterum monet in *Tract. II. in Ioan.* quem consulas. Immo narrat *Lib. X. de Civ. Dei cap. XXIX.* Platonicum quemdam philosophum praedicare solitum: *Initium Evangelii Sancti Ioannis aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias, locis eminentissimis proponendum esse.* Vide et quae in hanc rem ait Basilius *Hom. in cap. 1. S. Ioan.* Quid porro de Porphyrio dicam, quem vel ipse Augustinus *Lib. X. de Civ. Dei cap. XXIX.* diserte affirmat, cognovisse in divinis Patrem, et Filium? Quid de ceteris Platonicis? Quo autem pacto acciderit, ut Platonis doctrina, quum una omnium maxime coleretur, neglecta foret, deinde iacuerit, atque in suspicionem, crimenque vocata sit, alibi a nobis disputatur.

Sed quorsum, rogitet fortasse aliquis, tam mul-

unius trinaeque Divinitatis religionem, tot vaticiniis, et miraculis, et martyriis testi-

---

ta? ut noscat quisquis, nonnisi ex libris Mosaicis, et ex conversationibus cum Iudaeis in Aegypto profecisse Platonem. Eousque enim nostrae aetatis ingenia devenere, ut sanctum, augustamque dogma non ex superna Dei revelatione, verum ex Ethnica philosophia in Religionem derivasse blasphemaverint. Ita namque effutivit stolidissimus Souveranius, qui operis auctor fertur: *Platonisme devoilè, ou essai touchent le Verbe Platonicien.* Immo tantum audet, ut S. Iustinum Martyrem contendat primum fuisse, qui ex Platonis doctrina hoc mysterium in Christianam religionem invexerit. Mendacissimus homo nec femellas fallet; millies enim S. Martyr Iustinus clamat in Cohortatione ad Graecos, tum et in Dialogo cum Tryphone Iudaeo, se non ex lutulentis philosophorum fontibus, non ex pagana sapientia suam hausisse doctrinam, sed ex Veteris Testamenti Prophetis, et ex divinis Christi verbis, nec non ex Apostolorum praedicatione. Confer Cl. Baltum *Defense des Saints Peres accuses de Platonisme.* Insanientem quoque in ipsissima re habemus Joannem Clericum in *Arte Critic. Tom. III. Epist. VII. et seqq.* Sed opportunum malleum nactus est Cl. Ioan. Lamium in elaboratissimo opere: *De recta Christianorum in eo, quod Mysterium divinae Trinitatis attinet, sententia.* Laurentius demum Moshemius in scena desidera-

ficatam amplexarentur, nisi superba quaedam contumacia credendi quod non caperent. Nefarius furor et ipsos mox invasit haereticos, quorum pars cum Iudaeis tres in Deo Personas dari posse negavit, pars altera cum Gentilibus Filium a Patre, non genitum, sed creatum effutivit, adeoque creaturam non Deum reverita est. Quid autem stultius quam id negare quod non capitur? Deus is est, qui non philosophia rationis capitur, at philosophia fidei creditur. Ex fide enim non res perspicuas intuemur, sed in impossibili possibilitatem, in imbecillitate robur, et passionem in impassibili, et corruptionem in incorruptibili, et mortem in immortalitate, et in parvitate magnitudinem.

IV. Vtinam veram hanc philosophiam, et non degenerem, et ieiunam sectati essent illi Haereticorum primipili Arius, Macedonius, Sabellius! Intellexissent utique, non iis finibus arctandam, et circumscribendam esse Primi Principii Vnitatem, ut nequeat amplissimo suo simplicitatis ambitu plures amplecti personas, quam unam. Nihil tamen nisi ter-

batur, qui dissertationem cusit: *De turbata per Platonicos Ecclesia.* Ipsa comoediae inscriptio mimi scurrilitatem detegit.

renum, et humanum sapientes, noluerunt unitati magnitudinem, magnitudini unitatem in Deo copulare. Ad Patrem solum restrinxit Arius Deitatis unitatem, quam pro magnitudine sua ad totam Trinitatem dilatare debuisset. Macedonius ad Filium dumtaxat, non ad Spiritum Sanctum unitatem paternae Divinitatis ampliavit, atque ita eius magnitudinem coarctavit. Sabellius denique quia non poterat unitatem Deitatis intelligere, nisi in unitate Personae, unam sane substantiam credidit, et unam quoque personam, eumdem praedicans Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum.

V. O miseram philosophiam! Anima nostra nec extra se, nec supra se est, quumque tota quanta quanta est, intima sibi sit, et praesentissima, non tamen semetipsam vestigare, nec videre, nec penetrare potest; quomodo autem supernae infinitatis magnitudinem, et ipsam summam Trinitatis substantiam, infinito quodam intervallo omnes intelligentiae terminos excedentem noscet? Dicam amplius: Filios procreat homo sibi consubstantiales, qui tamen id fiat, non capit, non intelligit. Sensum, cor, oculos proli suae affigit, nescit autem, nec capit quomodo id fiat. An porro desipiat adeo, ut dum

humanam generationem, et quae oculis videt, scrutari non possit, scrutari Divinam praesumat, et ea noscere, quae neque in os, neque in sensus ascendunt?

VI. Ipsissimam argumentationem diserte urget S. Hilarius *Lib. II. de Trinitate*: *Si quis forte intelligentiae suae imputabit generationis huius sacramentum non posse se consequi, quum tamen et Pater sit absolute intelligendus, et Filius: maiore istud dolore a me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, saecula non tenent, propheta non sentit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te quisquis es revoco in excelsum, non amplitudinem tendo, non deduco in profundum: nonne aequaniminter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturae? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, et quae ex te generantur intelligis? . . Non quaero sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale sit quod in te est, odor, visus, sensus, auditus? Certe nemo quod facit, nescit. Quaero unde ista iis, quos generas, indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas.*

Haec si potes, enarra. Habes ergo quae nescis, et tribuis quae non intelligis: aequanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.

VII. Vni Deo igitur nota est illa Vnitas Trina, illa Trinitas Vna. Immensus namque ab immenso plene cognoscitur, et scientiae infinitas ibi manet, ubi substantia finem ullum omnino non habet. Abiiciamus hinc humanos sensus, affectusque omnes, ut de Deo prout aequum est sapiamus. Quid enim indignius quam Deo controversiam facere de potestatis suae finibus, ut nihil facere extra se, ut nihil esse in semetipso possit, nisi quod humana mens capiat, et probet? Huc sane facit quod ait Apostolus, infirmum et stultum Dei fortius, et sapientius esse hominibus, quod effatum illustrans Hilarius inquit *Lib. IV. de Trinit.* » Omnis itaque infidelitas stultitia est: quia imperfecti sensus sui usa sapientia, dum omnia infirmitatis suae opinione moderatur, putat effici non posse, quod non sapit . . . Quidquid autem pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur, Dei virtus est. Idcirco sapientiam sapientum, et intelligentiam intelligentium Deus improbat, quia per opinionem stultitiae humanae credentibus salus tribuitur: dum et infideles

quae extra sensum sunt, stulta esse decernunt; et fideles potestati ac virtuti Dei omnia largiendae sibi salutis suae sacramenta permittunt. Adsumenda autem nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus: non impudentiae sensu, sed naturae nostrae conscientia: ut quod cogitationis terrenae ratio non concipit, id nobis rursum ratio divinae virtutis insinuet. Quum enim recognita stultitiae nostrae intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiae senserimus, tum per divinae sapientiae prudentiam ad Dei sapientiam adsurgamus, et tum tandem id solum de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum et testis, et auctor existit».

VIII. Ea enim est Christianae religionis natura, ut ea doceat quae humanam vincunt scientiam, ea promittat, quae et oculorum aciem, et aurium auditum, et cordium vota supergrediuntur; ea ostendet, quae naturae vires, quae philosophiae conatus, quae vel ipsa intentissima sapientum studia longissime superant. Frustra hinc queruntur increduli, frustra lamentantur par impiissimorum hominum Baylaeus et Tolandus (2), quod

(2) Sic impudentissime Baylaeus tum alibi, tum in *Respons. ad Quaes. Provincial. P. II. cap.*

Trinitatis mysterium cum naturali ratione adversa pugnet ratione. Quam pugnam inter rationis auctorem, et rationem ipsam inveniunt pessimi sycophantae?

IX. Accusemus potius nostras imperfectiones, quibus saepe sensum cum sensu, naturam cum natura, rationem cum ratione pugnare videmus. Accusemus perturbatam, et inversam hominum mentem, qui quae diversi sunt ordinis, diversi sunt generis, et infinito, immensoque distant intervallo, eodem comprehendere genere, eadem librare trutina, eadem mensura perpendere, iisdem concludere finibus per summam meditantur amentiam. Deus noster DEUS ABSCONDITUS dicitur *Isaiae cap. XLV.* ut, nec se totum nobis aperiendo, nec se totum nobis occludendo, fidei sit meritum;

---

259. et in *Diction. art. Phyrron.* Et Tolandus in opere *La Rèligion Chrètienne sans mysteres*; Heu quantas insipientium fallacias! sed adversus hos haud immorabor, habes enim clarissimos viros, qui tantae restiterunt audaciae, Leibnitium nempe *de la conformitè de la foi avec la raison*; Anonymi Librum *La foi iustifièe de tout reproche de contradiction avec la raison*; Pfaffium in *Dissert. Antiboelianis*; Pluquetium in *Diction. des heres. art. Anti-trinitair.*; et Albertum Fabricium in *delectu argumentor. pro verit. Relig. Christ. cap. XXIV.* quos conferas, si lubet.

et ut intellectum hominum in obsequium sui captivet, humanaeque scientiae altitudinem supra se extollentis submittat.

X. Quin unius trinaeque Deitatis fides adeo non gentiles plerosque offendebat, aut a Christiana religione alienabat, ut potius primum eos obstupefaceret, et in sui adduceret admirationem. Magna enim, summa, et stupenda erant quae praedicabantur de uno summo Deo, de ipsius intra sese etiam foecunditate, de ipsius cum sua prole inenarrabili unitate, de summi Parentis, eiusque prolis mutua charitate, de charitatis huius mutuae sanctitate. Etsi vero haereret animus in simplicissimae unitatis concordia cum sua foecunditate, duo tamen erant, quibus omnis abstergebatur dubitatio. Primum erat in miraculis, quibus excitabantur quando Christus, et Apostoli hos illis coeperunt castioris, et sublimioris religionis radios adspergere: sive miracula intelliges, quae ita dicuntur portenta, sive mira et stupenda probitatis, pietatis, et virtutum omnium documenta, ipsis caelestibus ostentis mirabiliora, antehac paene inaudita, tunc autem creberrima, et hominibus vel de faece plebis familiaria, non sine Summi Numinis consilio, et adflatu. Alterum erat ingenita illa omnium animis

persuasio, esse Deum, et ea quae ad Deum spectant, supra mentes, et supra humanam intelligentiam.

XI. Vnum igitur Deum ratio suadet; trinum in unitate Deum non ratio, sed revelatio patefacit. Vis noscere quomodo unitas cum Trinitate constet, nosce infinitum, atque immensum si potes, et infinitate, et immensitate rationem invenies. Quid quod Chrysologus negat Deum esse, si omnipotens idem non sit; negat omnipotentem esse, si quid sit, quod non possit. Quum igitur Deum esse, et omnipotentem esse, non Scriptura tantum, sed rerum natura, et ipsa animae conscientia praedicet, nemo nisi stultissimus ab ea fide resiliet, quae iam ubique terrarum propagata est de nativitate Filii Deo Patri consubstantialis. Si enim negatur posse Deum suammet ipsam et substantiam et aeternitatem Filio communicare, iam ergo negatur omnipotens esse. *Semper ergo*, ut Chrysologus idem ait *Serm. LXII.*, *Filium fuisse credas, ne Patrem semper non fuisse blasphemes. Sed dicis, si genuit, quomodo semper habuit? si semper habuit, quomodo genuit? Qui interrogas, fidem denegas, quam fateris. Credo, dixisti, in Deum Patrem omnipotentem: si est quod non potest, omnipotens non est.*

*

XII. Vnum sapias igitur, si sapis, **Deum** Omnipotentem esse, quod si sapis, et incomprehensibilia comprehendes. Non enim disputatione, et contentione Deitas, sed sanctitate, et humilitate cordis nobis adeunda est. Ne illud quidem audeas, aut coneris, ut demonstretur, quum nostrum sit credere, Dei vero sit sese ubi, quibus, et quantum dignabitur, demonstrare. Imaginem at Mysterii quantulamcumque, qua mens quodammodo pascatur, et oblectetur, Augustinus haesitans magis tanta in obscuritate, quam adfirmans exhibet. *Cogitent homines*, ait S. Pater *Conf. Lib. XIII. cap.* 12. *haec tria in seipsis Esse, Nosse, Velle. Tria sunt, et unum sunt, et distincta, et inseparabilia sunt, et discreta sunt, et mutuo sibi insunt. Est enim unusquisque hominum sciens, et volens; scit esse se, et velle; vult esse se et scire. Haec intra ruminantibus emergit fortasse lumen quoddam vitae cuiusdam simplicissimae, et summe unius, in quo unum sit, et incommutabiliter sit Esse, Nosse, Velle. Nam in nobis tria haec unum perfecte non sunt, nec incommutabilia perfecte sunt; nec tribus divisa personis, sed uni et essentiae, et personae tributa.* Est autem haec Trinitatis imago, non Trinitas, ut intervideamus tan-

dem magis, quam videamus Vnitatem illam, cuius copiosa magnitudine tria haec continentur, nullo ex Vnitate Trinitatis dispendio, nullo ex Trinitate Vnitatis detrimento. Nec enim minutum, aut angustum quid est summa unitas, quae in summo omnium vertice sedet, sed amplissimum, immensum, infinitum, spatiosissimo sinu suo complectens, et arctissimo unitatis et simplicitatis nodo constrigens quidquid est Divinorum.

XIII. Augustinum porro praeiverat Ambrosius in *Lib. de dign. Cord. human.* cuius haec sunt ipsissima verba: *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus tres habens personas, ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo.*

XIV. Attamen, ut iterum dicam, in Mysterio inaccesso, et arcano quid potius homo fatur? non istae sunt occulti Dogmatis demonstrationes, sed rudimenta potius, et conatus quidam, quibus se mens exerceat quodammodo, et probet. Nam *Matth. VI.* 27. NEMO NOVIT FILIUM, NISI PATER, NE-

QUE PATREM QUIS NOVIT, NISI FILIUS, ET CUI VOLUERIT FILIUS REVELARE. Quamobrem Petrus, ubi Christum verum Dei Filium confessus est, illud ab ipso Domino responsum meruit *Matth. XVI.* 17. BEATUS ES SIMON BAR-IONA, QUIA CARO, ET SANGUIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEUS, QUI IN CAELIS EST. Hinc S. Hilarius *Lib. VIII. de Trin. Hoc Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc philosophia non sapit, unum ex uno, et totum a toto, Deum et Filium.* Et S. Athanasius *Ep. I. ad Serapion. num.* 18. *O stulti, atque ad omnia audaces, et praecipites! quare non potius Sanctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse dumtaxat creditis?* Et Hieronymus in *cap. VIII. Isai. Non dico de Mysterio Trinitatis, cuius recta confessio est ignoratio sententiae.* Et Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap. VI. quaenam vis intelligentiae, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet quomodo sit Trinitas?* Et Bernardus *Lib. V. de Consid. cap. VIII. Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita aeterna.*

XV. Ad unam igitur Sanctam Revelationem confugiamus, quae unam Naturam Divinam praedicat in Tribus Personis a se invicem distinctis, quam fidem S. Scripturae aperte praedicant, paternae traditiones invicte confirmant, et Apostolorum, Ecclesiarumque praedicationes constantissime testantur. Duo igitur, eaque maxima stabilienda sunt fundamenta. I. tres esse in Deo Personas vere distinctas. II. eas esse sibi mutuo consubstantiales, sive unam, eamdemque in singulis esse Naturam Divinam.

Cap. II.

DIVINARUM PERSONARUM TRINITAS EX VETERI TESTAMENTO EVINCITUR.

I. Quum in Aegypto diutissime versati essent Iudaei, ubi immanis grassabatur idolotria, nequaquam illis sapientissimus Deus Santissimae Trinitatis Mysterium palam aperuit, ne quemadmodum Personarum diversitatem, ita et diversam in Personis naturam profitentes ad Aegyptiacas plurium Deorum superstiones delaberentur. De unius igitur principatus, atque imperii dogmate eos oportuit erudiri, nec nisi per typos, et aenigmata Personarum Trinitatem haurire, quibus ani-

mus paullatim praepararetur, et veluti per quosdam gradus manuductus ad sublimiorem fidem eveheretur.

II. Quamobrem, ut praclare ait Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVII.* » Vetus Testamentum Patrem aperte praedicabat, Filium obscurius: Novum autem nobis Filium perspicue ostendit, Spiritus divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte praedicari: nec Filii divinitate nondum admissa, Spirtum Sanctum velut graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri: ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac Solis radiis hebetes oculos adiicientes, iis quoque, quibus praediti eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, et ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus, et incrementis, Trinitatis lumen splendidioribus illuceret (3). »

---

(3) Sic adpositis prope verbis rem declarant Sancti Patres. *Gradatim enim* (Novatianus ait *Lib. de Trinit. Cap. XXVI.*) *et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit, quippe periculosa sunt, quae magna sunt, si repentina sunt. Nam etiam lux solis subita post tenebras, splendore ni-*

III. Haud tamen obscura adeo in vetusti foederis Testamento eius doctrinae facta est mentio, ut non illam diligentiores deprehendere potuerint. Locupletissimum enim habetur documentum in *Gen. Cap. I.* 26. ubi Deus hominem plasmaturus: FACIAMUS, ait, HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITU-

---

mio insuetis oculis non ostendet diem, sed potius faciet caecitatem. Consona habet Isidorus Pelusiota *Lib. II. Ep. CXLIII.* Et Chrysostomus *Homil. V. de Incomprehens. Dei natur.* Apostoli Paulli verba commendans, qui Patrem Deum adpellat, Filium Dominum; *Non temere*, ait, *nec sine caussa id facit; sed quod adversum Gentiles ageret, qui Deorum opinione plurimum laborarent, ne illi dicerent: Cum nobis Deorum, aut Dominorum plurium cultum vitio des, ipse eidem es obnoxius crimini, cum Deos dicas, non Deum. Idcirco indulgens imbecillitati eorum, nomine Filium adpellavit diverso, quod tamen vim eamdem omnino obtineret....Hinc etiam, unus, addidit; ne Deos item plures introduci, illi arbitrarentur. Et quamvis Patrem Deum unum adpellet, tamen non a Deitate secludit Filium: ut etsi Filium Dominum unum dicit, non tamen removet Patrem a dominatione; sed imbecillitatem emendat gentium, nec ullam vult dare occasionem. Quod idem caussa certe etiam fuerat, quamobrem non expresse, ac manifeste, sed obscurius, raroque a Prophetis Filius Dei Iudaeis significaretur. Quod enim ipsi nuper errore Deorum plurium essent abiuncti, si*

DINEM NOSTRAM. Et mox Scriptura subdit: CREAVIT DEUS HOMINEM AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM SUAM; quae sane singularis ac pluralis numeri in eamdem rem usurpata varietas nihil luculentius, quam Trinitatis innuit Mysterium (4). *Cui dixit*: opportune disputat Basilius *Hom. IX. in Hexaem. ad imaginem nostram? cui quaeso alii, quam ei qui est imago Dei invisibilis, qui splendor gloriae, et figura substantiae*

---

iterum Deum et Deum audivissent, prorsus ad morbum animi reverterentur. Confer et Epiphanium *Haeres. LXXIV.* et in *Ancorato*; Gregorium Nyssenum *Lib. de Imagine Dei*; Basilium Seleuciensem *Orat. de Mose*, et Theodoretum, qui prolixius rem confirmat *Serm. II. de Curation. Graecar. affection.* nec non Eusebium Caesariensem *Contra Marcellum Lib. I. cap. I.*

(4) Vel ipsa Apostolorum aetate hanc fuisse communem loci interpretationem, nempe Patrem Filio dixisse faciamus, ex Epistola Barnabae (sive quisquis auctor Epistolae sit sub eius nomine) apertissime patet. Sic enim *Cap. V.* ως λεγει τῳ υιῳ' ποιησωμεν κατ' εικονα *cet.* et mox: ταυτα προς τον υιον. In eamdem sententiam conspirantes habemus clarissimos quosque Patres, Theophilum nempe *Lib. II. ad Autolycum*, Basilium *Lib. V. contra Eunom.* Cyrillum Alexandrinum *Lib. I. Thesauri*, Theodoretum *Quaest. XIX. in Genes.* aliosque innumeros.

eius? Et Augustinus *Lib. VIII. de Trinit. Dixit faciamus, non enim ut facerent Dii, aut ad imaginem, et similitudinem Deorum; sed ut faceret Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus ad imaginem Patris, et Filii, et Sp. S. ut subsisteret homo, imago Dei. Deus autem Trinitas.*

IV. Rabbini tamen, et Sociniani, alii aliis obstinatiores, nescio quam opponunt tergiversationem. Aiunt Deum plurali numero non ad Trinitatem Personarum, sed ad suam Maiestatem indicandam usum esse. O stolidissimos homines! Ignorare nimirum simulant, morem istum loquendi iam sero ex fastu apud viros illustres invectum, et Hebraeis penitus ignotum. Conferant sane vetusti foederis libros, et unum aut alterum proferant testimonium; audiant Deum adloquentem Abraham, Isaac, Iacob, Mosi; audiant clamantem inter tonitrua: EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS. Adposite hinc edisserebat Theodoretus *Quaest. XX. in Genes. Si Deus propter auctoritatem, ac maiestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui, vel semper, vel ut plurimum, praesertim quum legem daret in Sina.*

V. Effutiunt per insaniam praeterea, το FACIAMUS non cum aliis Personis colloquen-

tem innuere Deum, sed seipsum ad opus excitantem. Delirio tamen Basilius occurrit *Hom. XI. in Hesaemer. num. VI.* » Quis faber ferrarius, aut quis sutor solus inter artis instrumenta sedens, adiuvante ipsum nemine, dicat ipse sibi : faciamus gladium, aut aratrum compingamns, aut conficiamus calceamentum: an non potius, quod sibi convenit, opus cum silentio absolvit? sunt enim profecto nugae insignes, si quis sedeat, imperetque, et praesit sibi, atque domini more vehementer se ipse urgeat. »

VI. Ad incitas autem redacti aliud produnt commentum, Deum nempe cum Angelis colloquutum (5). Quid? an ergo in mundi fabricatione Deus consortem habuit creaturam? NUMQUID NON DEUS UNUS CREAVIT NOS? *Malach. II.* QUIS ADIUVIT SPIRITUM DOMINI? *Isaiae XXX.* Sed porro homo ad imaginem Dei effectus, non Angelorum. *Num*, ait Basilius *ibid. et Dei, et Angelorum una est imago? Filii quidem et Patris eamdem esse formam omnino necesse est;*

---

(5) Huiusmodi fortasse opinamentum de Angelis, ad hominis opificium advocatis, ex Platonis penu eductum arbitror, quippe in *Timaeo* scribit, ad rerum procreationem, praecipue vero hominum, minores esse adhibitos Deos.

forma videlicet uti Deum decet, non in corporea figura, sed in Divinitatis proprietate (6).

SCHOLION. Quod in Sacris Litteris quidam a Deo cum Angelis conventus habiti referuntur, ut quum de Acabi Regis internecione consilium habuit cum exercitu caelesti *Reg. Lib. III. cap. XXII.* longe aliam esse rationem, res ipsa declarat, et Sancti Patres observant. Nam ubi Angelos, aut creaturas alias adpellat, convocatque Deus, nominatim illi designantur. Nullius autem, praeterquam Dei, fit mentio in isto Genesis loco.

VII. Ibidem Deus hominem ex paradiso eiecturus: ECCE ADAM, inquit, QUASI UNUS EX NOBIS FACTUS EST, SCIENS BONUM, ET MALUM; quem locum praeclare illustrat Sanctus Augustinus *Lib. de Genes. ad lit.* et Basilius *contra Eunomium.* Profecto nec de se ipso unus aliquis, et singulari constans persona Deus potuit haec pronuntiare. Plures igitur indicat iste sermo; pluresque proinde in Deo, ac distinctae sunt Personae (7).

---

(6) Videsis Tertullianum *Lib. de Resurrectione carnis cap. VI.* Clementem Alexandrinum *Lib. V. Stromatum cap. VI.* Irenaeum *adv. Haeres. Lib. IV. cap. XXXVII.*

(7) Frustra Rab. Aben Hezra locum de Deo

VIII. Porro altera Divinarum Personarum adumbratio habetur *Gen. Cap. XI.* VENITE, ait Deus, DESCENDAMUS, ET CONFUNDAMUS LINGUAM EORUM, qui Turrim Babel aedificabant. *Vnde obsecro*, inquit hinc Chrysostomus (modo is auctor sit *Homiliae de Trinitate*) *quomodo Patris vox Filium et Spiritum vocet: nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere: Veni, et descendamus, quia autem dixit:* VENITE, *unius est vox ad duos honore aequales* (8). Praeterea suadetur idem ex *Gen. XIX.* IGITUR DOMINUS PLUIT SUPER SODOMAM, ET GOMORRHAM SULPHUR, ET IGNEM A DOMINO DE CAELO, ubi Dominus Filius a Domino Patre pluit, quemadmodum Ss. Patres uno ore fatentur (9).

Angelos adloquente accipit. Non enim eadem, et uniusmodi similitudo potest esse, qua cum Deo, et Angelis homo conferatur. Quod si contra locum de una tantum Persona Divina acciperes, hic foret verborum sensus: Ecce Adam quasi unus ex me factus est; O Rabbinorum deliria!

(8) Consona sunt, quae habent Basilius *Contr. Eunom.* Gregor. Nyssenus *Lib. de testim. contr. Iud. de Trinit.* Cyrillus *Dialog. III. de Trinit.* Theodoret. *Orat. II. ad Graec.* Ipsa enim verba ισοτιμιαν quamdam perspicue exprimunt.

(9) Antiqui omnes divinarum Personarum di-

IX. Sic Isaiae *IV*, QUEM MITTAM, ET QUIS IBIT NOBIS? quibus verbis apertississime adeo naturae unitas, et personarum pluralitas ostenditur, ut ipsi Rabbini mysterium ibi latere fateantur. Et *cap. XLVIII.* ACCEDITE AD ME ET AUDITE HOC: NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO LOQUUTUS SUM: EX TEMPORE ANTEQUAM FIERET, IBI ERAM: ET NUNC DOMINUS MEUS MISIT ME, ET SPIRITUS EIUS. In quem locum praeclare Auctor *Lib. de Trinit. lib. III. Disce unitam esse hanc naturam Divinitatis mittentis, et missi, dum qui nunc in Evangelio quamvis*

---

stinctionem in hisce verbis agnoverunt, quam adprime suadet vocula מאת *ab.* Hac notione locum acceperunt Iustinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone*; Irenaeus *Lib. III. adv. Haeres. cap. XI.* Tertullianus *contr. Praxeam cap. XIII.* Eusebius *Lib. I. Hist. Eccles. cap.* 2. Basilius *Lib. V. contra Eunomium*; Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXV.* Hieronymus *Comment. in Oseam cap. I.* Patres Concilii Antiocheni in Epistola Synodica contra Paullum Samosatenum; itemque Patres Concilii Sirmiensis contra Sabellianos: *Si quis pluit Dominus a Domino, non de Filio, et Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse; anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.* Confer Hilarium *Lib. de Synodis.*

missurum se Spiritum Paraclitum testatus sit, tamen seipse ab eo iam prius missum per inclitum Isajam professus est, ... dum inter mittentem, et missum personae ostenduntur. Porro accedit quod Isaiae verba Christus Dominus de seipso manifeste interpretatur *Lucae cap. IV.* Eodem modo *Isaiae Cap. XLI.* SPIRITUS DOMINI SUPER ME, EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME: AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS MISIT ME. Quare Irenaeus *Lib. III. cap.* 18. » In Christi nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus vero est Filius, in Spriritu, qui est unctio; quemadmodum per Esaiam ait sermo . . . . . significans et ungentem Patrem, et unctum Filium, et unctionem, qui est Spiritus. «

IX. Multa alia, et locupletissima huiusmodi testimonia in Psalmorum libro habemus. Luculentissimum illud primo, quod est in *Ps. II.* 9. DOMINUS DIXIT AD ME, FILIUS MEUS ES TU: EGO HODIE GENUI TE, quibus verbis Apostolus Paullus ad Christi divinitatem evincendam utitur. Nec vero vel Davidi, vel Salomoni adcommodari posse, ex iis quae sequuntur evidentissime constat:

DABO TIBI GENTES HAEREDITATEM TUAM, ET POSSESSIONEM TUAM TERMINOS TERRAE. Quamobrem Psalmum antiqui etiam Rabbini ad Messiam retulerunt, ut aperte fatetur Rabbi Salomon Iarchi, nec, nisi quum a Christianis exagitati fuerint, de Davide acceperunt (10).

XI. Et in Psalmo *XXXII.* MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA: VERBO DOMINI CAELI FIRMATI SUNT; ET SPIRITU ORIS EIUS OMNIS VIRTUS EORUM. Habes Dominum Patrem, Verbum, et Spiritum S. Et in *Ps. XLIV.* SEDES TUA DEUS IN SAECULUM SAECULI, VIRGA DIRECTIONIS, VIRGA REGNI TUI: DILEXISTI IUSTITIAM, ET ODISTI INIQUITATEM, PROPTEREA UNXIT TE,

---

(10) Apud Cl. Bossuetum in *Dissert.* in hunc locum: *Maiores nostri, sic inquit Rabbi Salomon Iarchi, ad Regem Messiam Psalmum hunc referebant: expedit tamen eum referre ad Davidem prout sonat, et propter Minaeos, sive haereticos,* quo nomine Christianos adpellat. Verum antiqua, et pervulgata erat apud Iudaeos sententia, ea Psalmi verba ad Christum referri, quemadmodum ea Petrus et Ioannes accepit *Act. IV.* 25. *XIII.* 33. et Paullus Apostolus in *Epist. ad Hebr. cap. I.* et *V.* Item *Apocalyps. II.* et *XIX.* Quamobrem

DEUS (11), DEUS TUUS OLEO LAETITIAE PRAE CONSORTIBUS TUIS; Vbi Deum, et Deum, ungentem, et unctum diserte indicat Vates. Et in *Ps. CIX.* DIXIT DOMINUS DOMINO MEO SEDE A DEXTRIS MEIS. TECUM PRINCIPIUM IN DIE VIRTUTIS TUAE, IN SPLENDORIBUS SANCTORUM: EX UTERO ANTE LUCIFERUM GENUI TE, quem locum et ipsa divina veritas Christus Dominus adhibuit (12), ut se Filium Dei et Deum probaret, et quemadmodum testatur Matthaeus *XXI.* 44. NEMO POTERAT RESPONDERE EI.

XII. Praeclarum porro aliud argumentum superest in *Ps. LXXXII.* IPSE INVOCABIT

---

nemini Christianorum fas est dubitare quin de Christo accipiatur.

(11) In Hebraeo Codice Deus Deus, alter vocativo, alter recto casu effertur; propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo laetitiae. *cet.* Hebraicum Codicem adprime sequitur Aquilae versio θεε θεος.

(12) Confer et Apostoli Paulli *Epistol. ad Hebr. I.* 13. Iustinum in *Dialog. cum Tryphone*, Athanasium *Orat. V.* Basilium, Cyrillum; itemque Augustinum *de Civ. Dei Lib. XVII. cap.* 13. aliosque plurimos passim, qui Psalmi verba ad divinam Christi nativitatem referunt.

ME : PATER MEUS ES TU , ubi Patris et Filii habes mentionem. Et quid reliqua moror? De Spiritus Sancti Persona porro habes *Sapient. I.* 7. SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARUM. Et *IX.* 17. SENSUM AUTEM TUUM QUIS SCIET , NISI TU MISERIS SPIRITUM SANCTUM TUUM DE ALTISSIMIS? Nullus at orationi terminus erit , si locupletissima quaeque Divinarum Personarum testimonia ad retundendam Rabbinorum temeritatem ex veteri Testamento huc vellem transferre.

XIII. Quid quod Patres antiqui foederis , et Hebraici populi primores quotquot fuerunt, et Patriarchae , et Prophetae hanc fidem habuerunt (13). Christum habes testem , qui

(13) Dignus maxime qui audiatur Cyrillus Alexandrinus *Lib. I. contra Iulianum* : » Deum igitur unum , uti modo dicebam , certo sciebat existentem divinus Abraham , eique solum purum , ac sincerum cultum exhibebat. Vbi vero progressu temporis exeruit sese animus ad profectum eorum , quae recte iam apud se conceperat , tunc certe multo efficacius de divinitate loqui adortus est ; nec enim dumtaxat quod unus Deus , et praeter ipsum nullus alius sit : sed quod in sancta , atque consubstantiali Trinitate concipiatur unius incorruptae naturae perfectio ac complementum ;

suomet ore dixit *Matth. XVIII.* 17. AMEN DICO VOBIS, QUIA MULTI PROPHETAE,

---

edidicit. Solum vero ut in figuris, et adcommodate ad sensum edocebatur. Cur ita? quia iis, qui recens ad veritatis cognitionem vocati sunt, nec mentem eius speculationi assuefactam habent, inaccessum quodammodo videtur, ut reapse est divinae visionis lumen. Indiget enim eiusmodi cognitio, erecta, exercitata, perspicacique mente, atque insuper antegressa fide confirmata, quae quidem est stabile fundamentum et basis omnium de divinitate sermonum. » Et paullo inferius: » Ecce apertissime sibi visum esse Deum ait, fuisse vero tres homines conspectos, accurrentem porro divinum Abrahamum, non tamquam tribus dixisse: Domini, si inveni gratiam coram vobis, ne praeterieritis Filium vestrum; sed Dominus unice vocantem tres, tamquam unum uti ad se diverterent, rogasse: quando et tamquam unus existentes tres; velut ex una persona dixerunt, ubi est Sara uxor tua: et illud: Rediens veniam circa hoc tempus mature: Cerne igitur visos tres quidem existentes, et propria unumquemque subsistentia, verbo consubstantialitatis subiacentes, in unum comprehensos, atque ita colloquia inter se data opera miscentes. Sed huiusmodi imagines obscurae quodammodo, et multum infra veritatem sunt, nisi quod alicui usui sunt ad nos quasi manu ducendos in earum rerum cognitionem, quae mentem et orationem exuperant ». Haec Cyrillus;

ET IUSTI CUPIERUNT VIDERE, QUAE VIDETIS, ET NON VIDERUNT. Et *Ioan. VIII.* 56. ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT, UT VIDERET DIEM MEUM, VIDIT, ET GAVISUS EST.

XIV. Praeclare hinc Gregorius Magnus *Homil. XVI. in Ezech.* « Ipsa fides, atque ipsum meritum tenuit corda praecedentium, quae replevit corda sequentium sub Testamento novo positorum, sicut et per Paulum dicitur: Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod loquutus sum, et non credimus propter quod et loquimur. Spiritales quippe illi Patres Omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem Trinitatem novi Patres aperte loquuti sunt ».

---

sed de Abrahamo, qui tres vidit, unum adoravit, nempe Deum Vnum et Trinum, confersis Sanctum Augustinum *Lib. II. contra Maximinum Arianum cap. XXVI.* itemque Eusebium, Ambrosium, Epiphanium, nec non Estium, et clarissimos quosque interpretes *text. Geneseos cap. XVIII.* 1. Quam interpretationem adprime confirmat vetus tabella Musivi operis Romae in Basilica S. Mariae Maioris in media navi, ad dexteram summi altaris, quam habes apud Cl. Ciampinium *de vet. monim. Tom. I. cap.* 22. *Tab. LI.*

» XV. Isaias namque, subdit Gregorius, audivit angelica agmina in caelo clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Vt enim Personarum Trinitas demonstraretur, tertio Sanctus dicitur; sed ut una esse substantia Trinitatis adpareat, non Domini Sabaoth, sed Dominus Sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque sentiens ait: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; Qui quum tertio dixisset Deus, ut unum esse hunc ostenderet, subdidit: et metuant eum omnes fines terrae. Paulus quoque loquitur dicens: Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ex ipso, videlicet ex Patre; per ipsum per Filium; in ipso autem, in Spiritu Sancto. Quem ergo ipsum quum tertio dixisset, adiunxit: ipsi gloria in saecula saeculorum. Qui enim non dixit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit per Personas, et subiungendo ipsi gloria, non divisit substantiam. Quia itaque una est veterum ac novorum Patrum fides, recte thalamorum describitur mensura una trium ».

CAP. III.

TRES SUNT DIVINAE PERSONAE PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS CLARISSIME EX NOVO TESTAMENTO.

I. Sed eccum fugatis tenebris lux splendidissima in novo foedere adparet, in quo non amplius per typos, et aenigmata, sed disertissimis verbis arcani Mysterii fides Deo revelante adstruitur. Quibus enim aliis insignioribus lineamentis Divinarum Personarum Trinitas exprimi luculentius poterat, quam Matthaei verbis *Cap. III.* 16. *et* 17. de baptismate, quod Christus ad fluenta Iordanis recepit? BAPTIZATUS AUTEM IESUS, CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA, ET ECCE APERTI SUNT EI CAELI: ET VIDIT SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM, ET VENIENTEM SUPER SE: ET ECCE VOX DE CAELIS DICENS: HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUI. Hem aperte quantum tres reipsa distinctas personas hinc habes, Patrem de Caelis clamantem, Filium de aqua

adscendentem, Spiritum Sanctum sicut columbam supervolitantem!

II. Socinianorum autem stoliditas, ut Trinitatis fidem eluderet, Christum Filium Dei agnoscit, sed adoptivum tamen, non naturalem. Quid? nonne et Ioannes, qui Christum baptizavit Filius Dei adoptivus erat, quo nullus maior inter homines natus fuerat? at non Ioanni, non aliis, qui ad istam φασιν admissi sunt, sed soli Christo dictum: HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS. » Anne tibi, ait Sanctus Hilarius, in eo quod dicitur, hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios: sed hic filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi filius est ». Obganniunt praeterea Spiritum Sanctum non Personam aliquam esse, sed Dei gratiam, in Christum de Caelo delapsam (14). Vtinam

(14) Nec Spiritum Sanctum Personam distinctam esse, sed ipsam Dei virtutem, nec columbam revera adparuisse, ex ipso hoc textu perfracte contendunt Sociniani. To enim *descendentem sicut columbam* idem effutiunt valere ac si *descendentem placide*. Quis verum iste per ineptissimas nugas cavillandi modus? Audiant saltem Lucae Evangelium *cap. III.* ET DESCENDIT SPIRITUS SANCTUS CORPORALI SPECIE SICUT

tam laeva iis mens non esset! quomodo gratia corporaliter descendit, quomodo visibilem speciem adsumit?

COLUMBA IN IPSUM. Accedit quod Matthaei textus habet: ET VIDIT SPIRITUM, *cet.* ubi *το* VIDIT nonnisi ad corporalem speciem referri potest. Sed non Iesus tantum vidit, sed et vidit Ioannes *Io. I.* 32. 33. immo et ii omnes, in quorum gratia haec *φασις visio* parabatur. Nam non infrequens Hebraeis est, ut verba activa neutrali notione accipiantur, *vidit* pro *visus est*, *adparuit.* Columbae visionem porro innumera confirmant monumenta, quorum instar sit vetus Nolana inscriptio in basilica S. Felicis, a S. Paullino Nolanorum Episcopo condita, in apside altaris sub musivis picturis.

PLENO CORVSCAT TRINITAS MYSTERIO. STAT CHRISTVS AGNO VOX PATRIS CAELO TONAT. ET PER COLVMBAM SPIRITVS SANCTVS FLVIT. PIA TRINITATIS VNITAS CHRISTO COIT. HABENTE ET IPSA TRINITATE INSIGNIA DEVM REVELAT VOX PATERNA ET SPIRITVS

Confer Paullini *Epist. XXXII. num.* 10. *edit. Veron. ad Severum an. Chr.* 403. ubi se carminis auctorem dicit. Cur vero Socinianis mirum adeo videatur, quod Spiritus Sanctus columbae specie descenderit, prorsus non video. Iudaeo-

III. Aliud ex Christi Domini ore audiamus testimonium, qui sic fatus est Apostolis *Matth. XXVIII.* DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CAELO, ET IN TERRA. EUNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES BAPTIZANTES EAS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

---

rum vetus erat traditio, Spiritum Domini in similitudinem volucris aquas primigenias confovisse, de qua *Gen. I.* 2. Traditioni velificatur nunc Deus, idque in Iudaeorum ipsorum gratiam, qui vel inde potuissent Christi divinam missionem intelligere. Accedit quod iam usque a Noachicis temporibus columba legatione functa fuerit; et antiquissima Orientalium Nationum consuetudo erat, quae etiamnum perseverat, columbas pro tabellariis et internuntiis mittere, de qua consulendus Cl. Samuel Bochartus in *Hierozoico tom. II.* Notissimus ille versiculus apud Athenaeum *Lib. IX. c. XI.*

Αποπεμψον αγγελλοντα τον περιστερον

Dimitte sis columbulum internantium.

Notissima et quae Plinius docet *Lib. X.* 37. *Quin et internuntiae in rebus magnis fuere columbae, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum D. Bruto mittente. Quid vallum, et vigil obsidio . . . profuere Antonio, per caelum eunte nuntio?* Quid reliqua moror? Nihil igitur mirum si Spiritus Sanctus Patris mandata perlaturus, quibus Christus Dei Filius declarabatur, adposite speciem columbae praesetulerit.

In nomine nimirum, videlicet in invocatione; quamobrem si absque ulla distinctione invocandus Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, si Patris Personam agnoscis, et Personam Filii, et Personam Spiritus Sancti agnoscere debes. *In nomine* tamen dixit Christus, non in nominibus. Vna enim trium divinitas, cui singulare hoc nomen adtribuitur, et Personarum proprietas, quam tria vocabula demonstrant; et indivisa honoris, ac maiestatis aequalitas, in quam tres illae Personae conveniunt, verbis explicatur istis, quibus Sabellii, Ariique pervicacia retunditur. Egregie hinc Pelagius primus in Epistola ad Childebertum Regem (*Concil. Tom. I.*) » In nomine inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinae essentiae *nomen* ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. Quia dum tribus unum Deitatis nomen est, aequalitas ostenditur Personarum, et rursus aequalitas Personarum nihil extraneum, nihil accidens in eis permittit intelligi ».

IV. At ineptam cantionem repetunt heic Sociniani, Spiritus Sancti nimirum nomine in Christi verbis non Personam, sed divinam virtutem intelligi, sive gratiam sanctificantem. Quousque ista effrons audacia deveniet? Sa-

tius profecto est non iis respóndere, qui stomachum potius movent, et risum. Quis enim nisi stipes prope, et mentis inops diceret, Baptismum ministrari ex auctoritate, ex invocatione gratiae? In nomine tantumdem valet ac in virtute; gratia quid est, nisi virtus? igitur ministratur Baptisma in virtute virtutis? O ridiculos homines, et ineptos, et stultos! Sed porro Spiritum Sanctum Divinam Personam esse, aperte ex Ephesiorum responso patet *Act. XIX.* qui nihil de Spiritu Sancto audivisse dicebant: NEC SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS, quos demiratus Apostolus interrogavit, IN QUO ERGO BAPTIZATI ESTIS?

V. Locupletissimus eadem in re est locus Joannis *VIII.* ubi SOLUS NON SUM, inquit Christus, sed EGO, ET QUI MISIT ME PATER, ET IN LEGE VESTRA DICTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST, EGO SUM, QUI TESTIMONIUM PERHIBEO, ET TESTIMONIUM PERHIBET, QUI MISIT ME PATER. Quo Praxeam confutat Tertullianus *Cap. XXII.* » quod si, ait, unus est, dum idem est Pater et Filius, non uteretur legis patrocinio fidem imponentis non unius testimonio, sed duorum. Resipiscant autem ma-

xime Sabelliani, quum hic duas quidem significari personas non tamen divinas, sed alteram divinam, alteram humanam dicunt. Nam quo pacto haec cohaerere possent cum illis, ubi dicit videre Patrem, qui videt Filium Christum, facere se aequalem Deo, quod non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo, quod vehementer urget Athanasius in Oratione contra gregales Sabellii, ubi addit: non est homo ille, qui missus est in mundum, et qui dicit: ex Patre egressus sum, et veni.

VI. Alter locus est in *Cap. X.* eiusdem Ioannis, ubi Christus ait; EGO ET PATER UNUM SUMUS. Non dixit, praeclare adversus Sabellianam, Arianamque perfidiam disputat Augustinus (*Tract. XXXV. in Ioannem*) Pater ego sum, aut ego et Pater unum est: sed quum dicit, Ego et Pater unum sumus, utrumque audi: et *unum* et *sumus*. Quod dixit, *unum*, liberat te ab Ario: quod dixit, *sumus*, liberat te a Sabellio: Si *unum*, non ergo diversum. Si *sumus*: ergo et Pater, et Filius. Sumus enim non diceret de uno, sed unum non diceret de diversis. Delirant autem Ariani ad unitatem et concordiam voluntatum confugientes. Si enim de ea Christus loquutus esset, non illi blasphemiam

exprobrassent Judaei, quod se faceret Deum, id quod magis deinde Christus operum suorum testimonio confirmat subdens: SI MIHI NON VULTIS CREDERE, OPERIBUS CREDITE, UT COGNOSCATIS, ET CREDATIS, QUIA PATER IN ME EST, ET EGO IN PATRE. Quae quidem verba Personarum apertissime docent distinctionem.

VII. Rursus ex *Cap. XIV.* Ioannis, ubi Christus ait, QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM MEUM, invicte Basilius in Oratione contra Sabellianos, et Arianos, illis quidem prioribus verbis, *qui videt me*, propriam Verbi Hypostasim, posterioribus vero *videt et Patrem meum*, Personarum distinctionem significari docet, nec non substantiae unitatem. Praeterea ubicumque Christus Dei Filius nuncupatur, a Patre aperte distinguitur. Nam ut Cyrillus *Lib. V. in Ioann. Cap. I.* » si idem est Pater et Filius, frustra est nominum illa distinctio ».

VIII. Accedit quod Christus Dominus noster iam iam moriturus Spiritum Sanctum discipulis promittit *Ioan. XIV.* EGO ROGABO PATREM, ET ALIUM PARACLITUM DABIT VOBIS . . SPIRITUM VERITATIS. Et *cap. XV.* CUM AUTEM VENERIT PARACLITUS, QUEM EGO MITTAM VOBIS

A PATRE, SPIRITUM VERITATIS, QUI A PATRE PROCEDIT, ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME. Cuius divinae promissionis quot verba, tot sunt Personarum Trinitatis testimonia. Alius qui petit, aliud quod petitur, alius a quo petitur. Rogat Filius, rogatur Pater, et quod rogatur Spiritus Sanctus est. Alius qui dat Pater, alius qui datur Spiritus Sanctus, alius per quem datur, Filius; ergo tres sunt divinae Personae, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Nec porro quia Christus Patrem rogat, ideo Deus non est, ut Sociniani blaterant. Duas in Christo agnosce naturas, qui homo est, et Deus simul. Rogat ut homo, siquidem Dei hominumque mediator est; Sed ut Deus, omnia habet quae Pater *Io. XVI.* 15. QUAECUMQUE HABET PATER MEA SUNT.

SCHOLION. Nec porro adversatur Ioannis locus *XVII.* 3. quem Crellius opponit Socinianarum partium patronus potissimus, ubi Christus Patrem compellans ait: HAEC EST VITA AETERNA, UT COGNOSCANT TE SOLUM VERUM DEUM, ET QUEM MISISTI IESUM CHRISTUM, velut si solus pater Deus sit, aliaeque excludantur personae a Divinitatis communione. Captiosi enim hominis cavillationem eludit articulus in Grae-

co Sancti Evangelii textu: ινα γινωσκωσι σε τον μονον αληθινον Θεον, quibus diserte docemur, particulam μονον *solum* adficere non subiectum; sed praedicatum; tunc enim ad subiectum referenda esset, quum ita scriptum fuisset: ινα γινωσκωσι σε μονον τον αληθινον Θεον. Itaque hic est Evangelii sensus: Pater Jesu Christi est solus verus Deus, seu ille solus est verus Deus; ac resolutis concretis ex doctrina Sancti Thomae id illa propositio sonat: Pater est habens solam veram Deitatem, quam habet et Filius, quod sane innuit Christus, quum Patris, Filiique cognitionem desiderari ait ad vitam aeternam. Hanc sane Evangelici textus interpretationem ipse Crellii magister Faustus Socinus ratam habuit in *Epist. II. ad Matthaeum Radecium*, ut antistitis saltem sui auctoritatem revereri debuerit. Sed de hoc textu inferius plura.

IX. Egregius demum, et peremptorius omnino est Joannis locus in *Epistola I. cap. V.* quam prope centenarius scripsit, ut temeritatem frangeret eorum, qui Christi Divinitatem, simulque humanitatem impetebant. Sic v. 7. TRES SUNT, ait, QUI TESTIMONIUM DANT IN CAELO, PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS, ET HI TRES UNUM SUNT. Et v. 8. ET TRES

SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA SPIRITUS, AQUA, ET SANGUIS, ET HI TRES UNUM SUNT. Quid clarius, quidve illustrius dici poterat? Tres sunt testes Christi Divinitatis in Caelo, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; Tres item Christi humanitatis testes in terra sunt, Spiritus, quem cruci adfixus emisit, sanguis, et aqua, quae de latere effluxerunt. Et hi tres unum sunt, unam namque habent substantiam.

X. Tantae veritatis luce perciti Sociniani nullum non movent lapidem, ut in falsitatis suspicionem septimum Ioannis versum adducant (15). Verum Ioannem ipsum consula-

---

(15) *EXCVRSUS*

Vindiciae vers. VII. Epistolae I. Ioannis adversus Socinianos.

Quantae Socinianorum querelae, ut invictissimum omnium testem everterent, ut Ioannis verba: TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN CAELO, PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS; ET HI TRES UNUM SUNT, quibus nihil iis infensius, ex Sacro Codice expungerent. Sed incassum et querendo sudant, et sudando queruntur. Duo enim potissima sunt querelarum capita. I. Quod in plerisque codicibus ea verba desiderentur. II. Quod Patres numquam ea

mus, qui statim subdit *vers.* 9. SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS, TESTI-

---

obiecerint sive Sabellianis, sive Arianis, sive Macedonianis. Sed proh scelus! hem quae mendacia, impudentissime architectata, nobis perditissimi homines obtrudunt. Age rem inquiramus.

Blaterant igitur Sociniani ante saeculum VI. aut VII. numquam comma illud Ioannis auditum. Sed quibus nisi stultis, et stolidis tam ineptam canunt cantiunculam? Habent vel ipso saeculo II. ineunte Tertullianum, qui *contra Praxeam cap. XXI. connexus*, ait, *Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero*, QUI TRES UNUM SUNT, *non unus quomodo dictum est*: EGO ET PATER UNUM SUMUS. Habent saeculo III. Cyprianum *Lib. de Vnit. Eccles. Dicit Dominus*: EGO ET PATER UNUM SUMUS, *et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est*: ET HI TRES UNUM SUNT. Habent saeculo IV. Hilarium Pictaviensem in *Epist. I.* inter opuscula veterum PP. Latinorum a Trombellio edita *Bonon.* MDLI. et Phoebadium Aquitanum in *Lib. contra Arian. cap. XLV. Hic alius a Filio Spiritus, sicut alius a Patre Filius, hic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda Persona; unus tamen Deus omnia, quia* TRES UNUM SUNT. Et Hieronymum, qui in sua versione ex antiqua Itala *versum VII.* retinuit, et Augustinum *Lib. II. advers. Maximinum cap. XXII. num.* 3. *In nomine Patris, et Filii, et*

MONIUM DEI MAIUS EST. Videlicet hisce verbis apertissime et versus septimus indica-

---

Spiritus Sancti: in nomine, non in nominibus, HI *enim* TRES UNUM SUNT, *et hi tres unus est Deus.* Habent saeculo V. auctorem libri contra Varimadum Arianum, quem Idacium esse, non immerito Cl. Montfauconius arbitratur; sed quisquis sit, ita *Lib. I. cap. V. Idem ipse Ioannes ad Parthos: tres sunt, qui testimonium perhibent in Terra, aqua, sanguis, et caro; et hi tres in nobis sunt: et tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus*, ET TRES UNUM SUNT. Eodem saeculo, adhuc Augustino, et Hieronymo viventibus. S. Eucherium *Lib. de Formulis Spiritual. Quantum ad Trinitatem legitur in epistola S. Ioannis: tres sunt qui testimonium dant in Caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et tres sunt qui testimonium dant in Terra spiritus, aqua, et sanguis.* Et Eugenium Carthaginiensem in professione fidei, quam CCCC. et amplius episcoporum nomine Hunnerico Regi Ariano obtulit: *Et ut adhuc luce clarius unius Divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Ioannis Evangelistae testimonio comprobatur, ait namque: tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater Verbum et Spiritus Sanctus*, ET HI TRES UNUM SUNT. Confer Victorem Vitensem *Lib. III. de profes. Vandalic.* Habent et M. Aurelium Cassiodorum in suis *Complexionibus ad cap. V.*

*

tur, in quo testimonium Dei; et versus octavus, in quo testimonium hominum produxerat.

Epist. I. S. Ioan. Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, et spiritus: in caelo autem Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ET HI TRES UNUS DEUS SUNT.

At porro sequiorem aetatem non moror, ipsi enim hostes fatentur, subsequutis saeculis longe celebratum fuisse Ioannis comma. Modo tamen quid a Socinianis expectabimus? quae reponent? Non igitur Augustino, non Hieronymo ignotus Ioannis *vers. VII.* quid si nec Arianis? immo millies ab illis auditus, minimeque reiectus, ut ex professione fidei Eugenii Carthaginiensis quisquis intelliget, et cur non reiectus, nisi quod et apud ipsos Trinitatis hostes, indubiae fidei erat? At fortasse Patres Graecos desiderant Sociniani; sed ne longam instituam telam, omnium instar sit Auctor librorum de Trinitate, qui sic contra Arianos *Lib. I. Tres sunt qui testimonium dicunt in caelo Pater, et Verbum, et Spiritus, et in Christo Iesu unum sunt.* Et *Lib. VII. Cur tres unum sunt, Ioannem Evangelistam dixisse legitis, si diversas naturas in personis esse accipitis?* Praeterea eumdem versum in Lyturgico Graecorum habemus, et insuper in professione fidei Concilii Lateranensis IV, an. MCCXV. cui Patriarcha Constantinopolitanus, et Ierosolymitanus, itemque legati Patriarchae Alexandrini, et Antiocheni, atque quamplures Metropolitae, et Episcopi adfuerunt. Sed terminum

XI. Perorationis loco sint Ambrosii verba (*Lib. II. ad Gratianum* in Joannis Evange-

---

huic capiti imponamus, non enim aliquem futurum spero, qui vel hiscere contra audeat.

Veniamus nunc ad alterum caput Socinianarum querelarum; sed iis tritum illum adcommodari potest axioma, qui semel falsi semper falsi. Id enim effrictae frontis homines nunc contendunt, in plerisque codicibus eum versum *Epist. I.* Ioannis desiderari. Hem quam frustra sunt! Extabat in antiquis exemplaribus, quae auctor Italae antiquae, itemque Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, et CCCC. Africae, Mauritaniae, Sardiniae, et Corsicae Episcopi habuerunt, a quibus septimus Ioannis versus commendatur. Extabat in iis omnibus, quae prae manibus Patres Concilii Lateranensis ex universo fere orbe MCCX. habuerunt, quique versum illum contra Trinitatis hostes, nemine reclamante, recitabant. Extabat in antiquissimo Codice MS. S. Germani á Pratis in Bibliotheca Parisiensi. Extat in vetustissimo Codice Britannico, cuius auctoritate motus Erasmus, quem versiculum in duabus suis Novi Testamenti editionibus antea expunxerat, in tertia editione restituit. Extat in emendatissimis, et antiquissimis Codicibus, quos undique Cardinalis Ximenius ad Complutensem suam editionem conquisivit an. MDXVII. Extat in innumeris exemplaribus, quae Cl. Robertus Stephanus contulit in pereleganti Novi Testamenti editione

lii Principium) quibus neque vehementiora fortasse habemus, neque elegantiora: » In

---

an. MDL. et quod praetereundum non est, ait *pag.* 167. ex sexdecim Graecis, et summae vetustatis Codicibus septem reperisse, in quibus haec duo verba *in Caelo* tantum deerant, non vero versiculus integer, ut Sociniani obganniunt. Extat in Codice Vaticano, omnium vetustissimo, cuius fides eccui non probata? Extat in iis pluribus, quos Theodorus Beza apud se habere testatur. Extat in illis, quos Io: Calvinus contulit. Extat in septem illis, quos Laurentius Valla scribit apud se habere. Extat in Remensi Codice, quo Hincmarus utebatur, et de quo vide sis Martenium *Itiner. Litterar. P. II. pag.* 79. itemque in Genevensi et Argentoratensi. Extat in pretiosissimo Codice FF. Praedicatorum Coenob. Parisiensis de quo vide P. Gabrielem Fabricy *Tom. II. des titres primitifs de la revelation pag.* 132. Extat in viginti et octo probatissimae fidei Codicibus, quos summo labore lustravit Lucas Burgensis. Et quid ultra progredior? vel ipse Richardus Simonius fatetur, per decimi saeculi aetatem vix pauca extitisse latina Novi Testamenti exemplaria, in quibus hic versus desideraretur. Opponunt nobis Sociniani Codicem MS. Alexandrinum in Anglia, et Vaticanum alterum Romae. Sed cui bono ad Alexandrinum provocant, qui, ut ipse Wetstenius fatetur, infinitis prope scatet erroribus. Ad Alexandrinum nempe provocant, in quo desideran-

Principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Erat apud Deum, erat, erat, erat: Ecce quater erat, ubi impius invenit quod non erat? Alibi quoque Joannes in epistola sua dicit: quod erat in principio, indefinite tenditur, erat, quidquid excogitaveris, erat Filius. Omnes autem haereses hoc capite brevi noster piscator exclusit: Quod

---

tur XXIV. capita Matthaei, et initium Capitis vicesimi quinti, in quo pessima offenditur lacuna a versu L. Capitis VI. Ioannis, usque ad versum LII. Capitis VIII.; in quo septem Capita Epistolae secundae ad Corinthios desiderantur. Quid praeterea de Vaticano, quem opponunt? sane arduum esset omnes numerare lacunas. Vtinam tales testes semper producerent Sociniani, non nimium laborandum nobis esset, ut eos everteremus. Sed quorsum in nonnullis Codicibus septimus versus desideratur? Nemini non nota amanuensium oscitantia. Versus septimus, et octavus iisdem vocibus incipiunt: *Tres sunt qui testimonium dant*, quibus verbis iam exaratis, errante oculo, ad versum octavum recurrerunt, intermediis verbis omissis. Quod quam saepissime accidat, vel ii experiuntur quotidie, quibus negotium cum typographis est. Saepe enim non ex versus, sed ex unius quandoque voculae repetitione decepti, integras fallente oculo praetereunt periodos.

erat in principio, non includitur tempore, non principio praevenitur. Ergo Arius conticescat: Quod erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur; ut Sabellius obmutescat: Et Deus erat Verbum, non ergo in probatione sermonis hoc Verbum est, sed in illa designatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod erat in principio apud Deum, sempiternae divinitatis in Patre, et Filio inseparabilis veritas edocetur, ut erubescat Eudoxius, et Eunomius. Postremo quum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor novi utique, et veteris testamenti designatur, ut Manichaeus locum tentationis habere non possit. Ita Piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamquam essent inutiles captioni ».

CAP. IV.

TRES SUNT DIVINAE PERSONAE, PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS EX GRAECORUM, LATINORUMQUE PATRUM TRADITIONE.

I. Divinae Trinitatis fides, veteris, novique Testamenti auctoritate firmata, Apostolorum praeconio per universum orbem perfusa, perpetua traditione ad nos propagata est, ut illam veluti hereditatem habeamus, per successionem ab Apostolis, continuata per sequentes Sanctos serie, ad nos usque transmissam. Hanc sane traditionem, quam valentissimam, et omni demonstratione evidentiorem Sancti Maiores nostri habuerunt, ex instituto ad Nicaeni Concilii tempora percurramus, quibus uberius Trinitatis fides adserta, nec iam canalibus, et rivis, sed torrentibus et fluviis effusa, totam inundavit Ecclesiam.

II. Et quidem ex Scriptoribus, qui primo Christi saeculo floruerunt, luculentissimum habemus testimonium ex Herma, cuius est liber Pastoris, a Clemente Alexandrino, Ori-

gene, et Tertulliano commendatus, quem veluti Scripturae librum Irenaeus *Lib. IV.* protulit, ut animadvertit Eusebius *Lib. V.* quemque ωφελιμωτατην βιβλον *utilissimum librum* adpellat Athanasius *Lib. de Incarnat.* Hieronymus vero *Catal. cap. XX.* testatur, apud quasdam Graeciae Ecclesias etiam publice lectum, et revera utilem esse. De hoc ita Irenaeus *loc. cit. Bene ergo pronuntiavit Scriptura, quae dicit, primo omnium crede quoniam unus est Deus.* De Filio Dei porro luculentiora habet *Lib. III. Similit. V.* et *Simil. IX. Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam.* Ibidem et Spiritus Sancti meminit, quem infundi dicit, et habitare in hominibus. Alterum ex Clemente Romano, qui ipsos vidit Apostolos, producimus in *Epistola ad Corinth.* cuius auctoritate ad Trinitatem vindicandam utitur Irenaeus *Lib. III. contra haereses*, et S. Basilius *Lib. de Spiritu Sancto cap. XXIX.* his verbis: *Sed antiquior Clemens inquit: vivit Deus, et Dominus noster Iesus Christus, et Spiritus Sanctus.* Eamdem fidem apertissime Ignatius Martyr, qui post Apostolos Antiochiae constitutus est Episcopus, et Chrysostomo teste *Hom. LXX.* Apostolorum

ipsorum manu ordinatus praedicavit, ut ex eius epistola ad Ephesios, cuius in hanc rem verba Theodoretus *Dialog. I.* et Athanasius *Lib. de Synodis Ariminensi, et Seleuciensi* recitant ad avitam evincendam traditionem. Item Polycarpus, qui Irenaeo testante *Lib. III.* non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum viderunt, sed etiam ab Apostolo in Asia Smyrnensis Ecclesiae constitutus Episcopus. Qui aerumnosissimam hanc vitam cum aeterna iam prope commutaturus sic Deum adloquebatur: *Te laudo, te benedico, te glorifico cum sempiterno, et caelesti Iesu Christo dilecto Filio tuo, cum quo tibi, et Spiritui Sancto gloria et nunc. et in futura saecula*; quibus verbis et orandi, et vivendi finem fecit. Videsis huiusmodi Orationem apud Eusebium *Lib. IV. Hist. Cap. XIV.*

III. Inter Patres secundi saeculi primo loco numerandus venit Justinus Martyr, qui praeclara sane, et omnino orthodoxa docet de Trinitate cum alibi, tum in *Apolog. II. Profitemur quidem nos talium, qui habentur Deorum expertes esse, et atheos, sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet iustitiae, et castitatis, et virtutum aliarum, et ab omni vitiositatis mixtione, et labe alieni ex-*

pertes. Verum hunc ipsum, et qui ab eo venit, atque ista nos docuit, Filium, et Spiritum Propheticum colimus, et adoramus. Hic ipse Spiritus Sanctus, qui, ut in Symbolo canit Ecclesia, loquutus est per Prophetas. Nec minus digna sunt, quae habet in *Dialog.* cum Tryphone, ubi personalem in unitate substantiae distinctionem apertissime expressit, exemplo potissimum ignis, a quo multi alii accenduntur ignes sine ulla eius imminutione: *quomodo in igne videmus alium fieri, non decrescente illo, unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente, quippe qui ex ipso incenditur, et ipse adparet, non imminuens illum unde est succensus.* Atque eo exemplo et consubstantialitas proditur et aequalitas. Nam ignis accendens, et accensus, ignis gignens, et genitus eiusdem substantiae sunt, et prorsus aequales, nec ullo distant, nisi quod ille genuit, hic genitus est. Qua in re Nicaenae confessioni praeivit, praedicanti Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero.

IV. Hoc ipso Justini aevo liceat mihi Luciani testimonium proferre, vel ideo plurimi aestimandum, quod ab Ethnico homine, eoque impio satis, Christianaeque fidei infestissimo profectum. Is enim in Dialogo qui *Phi-*

lopater inscribitur, Tryphonem Christianum inducit, antequam ethnicum Christianis mysteriis initiaret, id ab eo iuramentum exigentem, quo ne fingi quidem quidquam potest luculentius ad Catholicam de Trinitate confessionem: *Iura Deum alte regnantem, magnum, aeternum; atque aeternum Filium Patris, et Spiritum ex Patre procedentem. Vnum ex tribus, et ex uno tria; tria haec tu Iovem puta, et Deum existima* (16). Ea ergo tunc fide, uno sacramento unius et trinae Deitatis imbuebantur Christiani omnes, adeoque aperte, ut nec ethnicos id latere posset.

V. Athenagoras Iustino suppar, qui et ipse insignem Apologiam pro Christianis scripsit, obtulitque Imperatoribus, Marco Aurelio Antonino, et Commodo. Atque eius haec sunt:» Quis igitur non miretur, cum atheos vocari

---

(16) Luciani versus, modo is Dialogi auctor (lis enim est inter viros gravissimos an merito Luciano tribuendos, de qua conferas Cl. Io: Alb. Fabricium *Bibl. Graec. Lib. IV. cap.* 16.) huc transferre dispendium non est:

Ιψιμεδοντα θεον μεγαν, αμβροτον, ουρανιωνα
Υιον πατρος, πνευμα, εκ πατρος εκπορευομενον
Εν εκ τριων, και εξ ενος τρια
Ταυτα νομιζε Ζηνα, τονδ' ηγου θεον.

audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum adserunt, ac eorum in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant (17)? *Quippe ut Deum asserimus, et Filium ipsius Verbum. et Spi-*

(17) Nihil sane studiosius Ethnici quaerebant, quam ut Christinis calumnias instruerent. Cur porro eos veluti Atheos potius accusarint, non vero Politheas, vel ex eo quisque intelliget, quod *disciplina Arcani* ea prima Ecclesiae aetate vigeret, qua et Sacramenta, et sancta quaedam mysteria profanis hominibus occultabantur, ne eorum derisionibus paterent. Rem opportune declarat S. Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi VI. Non enim gentili cuiquam de Patre, Filio, et Spiritu Sancto arcana Mysteria declaramus: neque palam apud Catecumenos de Mysteriis verba facimus, sed multa saepe loquimur occulta, ut Fideles, qui rem tenent, intelligant, et qui non tenent, non laedantur.* Fusius nos hac de re egimus in *illustratione veteris Christianae gemmae*, quam in digito gestamus, quamque videre est in Operis fronte. Ceterum nec huiusmodi probra in Christianos defuerunt. Celsus Epicureus philosophus id Christianis obiiciebat, quod Deorum multitudinem irriderent, ipsi tamen Deum, et Christum adorarent. Confer Origenem *Lib. VIII. contra Celsum*, qui in eo totus est, ut eam diluat calumniam, aperta Dei et Christi, Patris, et Filii una natura.

ritum Sanctum; unita quidem secundum potentiam, εννουμενα μεν κατα δυναμιν; *Patrem, Filium, et Spiritum; quoniam Mens, Verbum, et Sapientia profluit a Patre, sicut lumen ab igne, similiter et Spiritus*, οτι νους, λογος, σοφια, υιος του πατρος, και απορροια, ως φως απο πυρος το πνευμα Vides ut tres Personas confiteatur distinctas, et tamen potentia, seu essentia, et substantia unitas. Vides et Filium, et Spiritum Sanctum a Patre profluere, ut lumen ab igne, quo nihil amplius desiderarunt Nicaeni, Nicaenisque posteriores Patres ad Filii, et Spiritus Sancti Divinitatem consubstantialem et coaeternam stabiliendam.

VI. Athenagorae subiungitur Sanctus Theophilus Episcopus Antiochenus, qui sub iisdem Imperatoribus M. Aur. Antonino, et Commodo floruit. Scripsit is libros tres ad Autolycum pro Christianae Religionis defensione, in quibus pulcherrima habet de SS. Trinitate: *Tres dies, qui praecesserunt creationem duorum luminarium Trinitatis mysterium sacrosanctum repraesentant, videlicet Deum, Sermonem, Sapientiam; quartus dies typus est hominis, qui lumine indiget, nempe ut sit Iesus, Sermo, Sapientia, homo.* Et mox: *At haec verba, faciamus hominem ad*

imaginem et similitudinem nostram, *ad neminem alium*, *quam ad suum sermonem*, *sapientiamque Deus direxit.*

VII. Clarissimus Martyr Irenaeus Lugdunensis Ecclesiae Episcopus hac eadem aetate floruit, eamdemque fidem tenuit, praedicavitque. Audi ex eo brevissimam fidei regulam, quae singulis personis ea tribuit, sive propria, sive communia, quae valent profecto ad summae divinitatis apicem singulis illis vindicandum. Ait enim *Lib. I. contr. Haeres. cap. XIX. Omnia per ipsum Verbum fecit Pater*, *sive visibilia*, *sive invisibilia*; *sive sensibilia*, *sive intelligibilia*; *sive temporalia propter quamdam dispositionem*; *sive sempiterna*; *et ea omnia non per Angelos*, *neque per virtutes aliquas abscissas ab eius sententia*, *nihil enim indiget omnium Deus*; *sed per Verbum*, *et Spiritum Sanctum omnia faciens*, *et disponens*, *et gubernans*, *et omnibus esse praestans.* Eodem modo *Lib. IV. cap. XIV. Et propter hoc in omnibus*, *et per omnia unus Deus Pater*, *et unum Verbum*, *et unus Filius*, *et unus Spiritus*, *et una fides*, *et salus omnibus credentibus in eum*, quo luculentissimo testimonio Theodoretus utitur *Dialog. I.* et S. Basilius *Lib. de Spirit. Sanct.*

VIII. Illustres porro per saeculum tertium Trinitatis testes, et praedicatores eduxit tum Graeca, tum Latina Ecclesia. Primus ex Graecis Clemens Alexandrinus, cuius innumera, et praeclara possem hoc loco proferre testimonia, nisi longe clarissimum, omniumque instar esset illud in *Lib. I. Paedagogi Cap. VI.* ubi tres divinas Hypostases coniungit, a reliquis seiungit omnibus, iisque subiungit totam naturam intellectualem, Ecclesiam: *O miraculum mysticum! Vnus quidem est universorum Pater. Vnum est etiam universorum Verbum; et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique. Vna autem sola mater est virgo: Mihi autem placet eam vocare Ecclesiam.* Et ad *Pedagogi* calcem: *Laudemus unum Patrem, et Filium, una cum Sancto Spiritu, cui gloria nunc, et in saecula saeculorum.*

IX. Irenaei, et Clementis Alexandrini discipulus fuisse fertur Hippolytus Episcopus et Martyr, cuius ponderosissima extat *Homilia de Deo Trino, et Vno*, et *de Mysterio Incarnationis* contra Noëtum *Biblioth. Patr. tom. XV.* Perspicua sunt, et Orthodoxa, quae urget; nobis vero satis est Trinitatis confessionem seligere dumtaxat: *Necesse est, ut, quamvis nolit, confiteatur Patrem omnipo-*

tentem, et Christum Iesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subiecit, praeter se, et Spiritum Sanctum, et hos esse vere tres.

X. Secundus Origenes, quem reveritum vim consuetudinis religiosas de Spiritu Sancto voces edidisse, et adorandae Trinitatis Deitatem nominasse scribit Basilius *Lib. de Spirit. Sanct. cap. XXIX.* Verum pessime circa Divinum Mysterium sensisse Hieronymus testatur, qui quum stomacharetur, opera Ruffini interpretis errores huiusmodi ex libro περι αχρων fuisse suppressos, ac praecisos, quo illum acceptum magis Catholicis ob concordiam cum Nicaena fide praeberet (18), novam Origenis versionem latinam adornavit, quae magna cum litterarum sacrarum iactura interiit, Ruffiniana superstite. Hieronymo consentit Epi-

---

(18) Id Ruffinus ipse testatur in *Prologo*: *Sicubi ergo nec in libris eius* (Origenis) *aliquid circa id invenimus; quod ab ipso in ceteris locis pie fuerat de Trinitate definitum, velut adulteratum hoc, et alienum, aut praetermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus adfirmatam.* Verum Hieronymo observante, nec omnia, quae spongia digna erant, Ruffinus emendavit.

phanius, qui Origenem *Arii patrem, et aliarum haereseon radicem, et parentem* adpellat in *Epistola ad Ioan. Ierosolymorum Episcopum.* Denique Concilium V. Constantinopolitanum, sub Iustiniani (19) imperio coactum, Origenis errores circa Trinitatis fidem, veluti germanos illius foetus proscripsit, quo omnes eliduntur fautorum Origenis conatus (20).

---

(19) Quin ipse Iustinianus Imperator in *Tractatu adversus Origenis errores*, quem ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum misit, haec de Origene habet: *Qui ante omnia in ipsam sanctam, ut consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere; Patrem maiorem esse Filio; Filium Sancto Spiritu; Spiritum Sanctum aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret, nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium; ipsius Filium, et Spiritum Sanctum creaturas esse, quodque nos sumus ad Filium, Filium esse ad Spiritum Sanctum.*

(20) Iterum, iterumque Origenianam doctrinam ab Ecclesia proscriptam offendimus. Damnatus primo Origenes a Theophilo in Synodo Alexandrina, ex Episcopis Aegypti, Lybiae, et Pentapoleos congregata. Mox a S. Epifanio in Synodo Cypri, Tertio ab Anastasio Romano Pontifice. Confersis Hieronymum *Apolog. adv. Ruffinum*.

XI. Tertius ex Graecis sanctae fidei testis est Dionysius Alexandrinus, Origenis auditor, qui tanto animi ardore in Sabellianos irruit, ut paene in oppositum errorem videretur abreptus. Illius apologiam scripsit Athanasius *Lib. I. adv. Arianos cap. IV.* et *Lib. de Dionysii sententia adv. Arianos.* Basilius vero Anomaeorum haeresis auctorem adpellat, quod non modo hypostases, sed et substantias diversas adfirmarit (21). Quidquid sit, certum sane illud, quod Dionysius ad Dionysium Romanum Pontificem eo nomine delatus se crimine purgarit, Filiumque ομοουσιον confessus sit.

XII. Quartus testis Gregorius Neocaesariensis Episcopus est mirabilium ille patrator, unde Thaumaturgi nomine salutatus, cuius doctrinam sanam semper fuisse, et Catholi-

---

Quarto a Vigilio P.M. testante Cassiodoro *Lib. I. Divin. Instit. cap. I. Licet tot Patrum eum impugnet auctoritas, praesenti tamen tempore, et a Vigilio beatissimo Papa denuo constat esse damnatum.* Quid sequiora percurram tempora?

(21) Fusius de hac re quum ad Iesu Christi Divinitatem vindicandam sermo devenerit. Interest enim Dionisii doctrinam non obiter, neque inclementer interpretari; eo magis quo Magnum Athanasium veluti exemplar nobis propositum habemus.

cam, auctor locupletissimus est Basilius Magnus in Epistola ad Neocaesarienses (*Epist. LXIV. tom. III.*) ubi eos hortatur, ut ab illius vestigiis, et incorruptis doctrinae traditionibus, ne tantisper discendant, quibus olim exoriens Sabelliana pestis consopita est. Verum quando de huius Gregorii doctrina sermo sit, ne quis in suspicionem aliquam eum adducat (22), opponam ego Gregorii fidei formulam, quam refert Gregorius Nyssenus in eius vita, quamque ei narrat caelitus adlatam, et a Beato Joanne Evangelista di-

---

(22) Gregorii verba in *Dialog. cum Aelian. Patrem, et Filium mentis quidem cogitatione duo esse, sed hypostasi unum*, ne quis obiiciat, audiat primo S. Basilium *Epis. CCXX.* quem locum et Facundus Hermianensis commendat *Lib. X. pro Defens. trium Capitul. cap. LI. Hoc autem*, inquit Basilius, *non docendi causa, sed decertandi in Dialogo cum Aeliano dictum esse intelligere non potuerunt* (Sabelliani). *Qua in disputatione multa sunt librariorum errata . . . . . Deinde vero Gentilem erudiens non existimabat accuratius disceptandum esse de verbis; sed nonnihil etiam indoli illius, qui introducebatur concedendum, ut ne iis, quae praecipua sunt, repugnaret.* Discamus hinc et catholicam doctrinam vindicare, et clementes interpretes esse in Sanctorum Patrum monumentis exponendis.

etatam, summaque religione, et diligentia deinceps in Ecclesia Neocaesariensi conservatam; unde factum, ut successores eius, et ipsa Neocaesariensis Ecclesia ad nova haereticorum commenta numquam declinarit. In ea autem fidei formula dicitur Filius sapientia subsistens, et virtus, character aeternus Patris, perfectus perfecti Filius, unus Dominus, unus ex Vno, Deus ex Deo, Filius verus veri Patris; invisibilis, incorruptibilis, immortalis, Aeterni Patris Filius, et ipse invisibilis, incorruptibilis, immortalis, aeternus; similiter Spiritus Sanctus ex Deo subsistens *cet.* Trinitas perfecta, quae gloria, aeternitate, et regno non dividitur neque abalienatur. Atque hinc perspicue colligitur, Filii, et Spiritus Sancti consubstantialitas cum Patre, et una trium divinitas, aeternitasque.

XIII. Ex Scriptoribus Latinis eiusdem tertii saeculi primo Tertullianum proferimus, qui diserte adeo adversus Praxeam de Trinitate disserit, ut ne in Nicaeno quidem Patrum Consessu potuisset quisquam magis catholice disserere (23): *Quasi non sic quo-*

(23) Nemo fortasse unus non ridebit Ioannis Clerici confidentiam *in Hist. Eccl. saec. II. an. CLXXXVI. num. IV.* siquidem in eo contendit, totam controversiam Tertullianum inter et Pra-

que unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem: et nihilominus custodiatur οικονομιας sacramentum, quae unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formae, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti deputantur? Quomodo numerum sine divisione patiuntur, procedentes tractatus demonstrabunt. Vnus ergo, et unus omnia est Deus ob substantiae unitatem, et propter Monarchiam Patris, a quo sunt duae aliae personae. Tres personas porro hic vides praedicari *unius substantiae, unius status, unius potestatis*. Advertas gradus, formas, et species vocari, quas Latini Proprietates, Graeci ιδιοτητας dicunt. Observes unicum dici Deum, sed non sine sua οικονομια, qua

---

xeam versatam fuisse, quod Tertullianus duplicem in Patre et Filio substantiam doceret, Praxeas vero negaret.

Spectatum admissi risum teneatis amici.
Nimirum Praxeam orthodoxum, Tertullianum vero Tritheitam nobis venditat Clericus.

Trinitas ab unitate derivat, et administratur. Intelliges denique unitatem non divisam, non destructam, sed effusam, dispensatam.

XIV. Tertulliano Novatianum presbyterum addimus, cuius de Trinitate liber Tertullianae doctrinae adeo consentaneus est, ut inter Tertulliani opera circumferatur, et eius esse fere hactenus existimatus fuerit. Postquam igitur is Dei unitatem firmissimis evicerit argumentis, de Christo mox disserens ait: *Etenim periculum grande Salvatorem generis humani totius dominum, et principem mundi, cui a suo Patre omnia tradita sunt, et cuncta concessa, per quem instituta sunt universa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, aevorum omnium, et temporum Regem, Angelorum principem; ante quem nihil praeter Patrem, hominem tantummodo dicere, et auctoritatem illi divinam in his abnegare*. Nec vero Spiritum Sanctum omisit: *sed enim*, ait, *ordo rationis*, et *fidei authoritas*, *digestis vocibus*, *et litteris Domini admonet nos post haec credere etiam in Spiritum Sanctum*, *Ecclesiae repromissum*, *sed statutis temporum opportunitatibus redditum*.

XV. Ne porro in nostra hac Patrum serie Beatus Martyr Cyprianus desideretur, ma-

gnum illud Ecclesiae Africanae lumen, et traditionis Ecclesiasticae testis locupletissimus, centonem ex eius epistola ad Jubaianum de haereticis baptizandis decerpam: *Templum Dei factus est. Quaero cuius Dei? si creatoris, non potuit, qui in eum non credidit. Si Christi: non huius fieri potest templum, qui negat Christum Deum. Si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus ei esse potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?*

XVI. Accedit Minucius Felix in *Octavio*, cuius hac de re verba usurpavit Cyprianus in *Lib. de Vanitate Idolorum.* Verum ne longius noster hic sermo protendatur, omnes quidem veteres Ecclesiae Patres complexus est Sanctus Augustinus *Lib. I. de Trinit.* cap. *IV.* quem praestat audire: *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum, ac novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unius, eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuant unitatem; ideoque non sunt tres Dii, sed unus Deus.*

XVII. His igitur veritatis testibus, et Apostolici depositi custodibus ad Nicaena tempo-

ra fides Trinitatis manavit, in quibus felicius adserta est, et latius, clariusque explicata. Ratum enim id semper, firmumque in Ecclesia Catholica fuit, unam semper, eamdem, et incorruptam viguisse fidem, omnibus saeculis, regionibusque terrarum; nec in Conciliis novatum quidquam umquam fuisse, sed priscam semper Patrum doctrinam in iis constabilitam, novisque documentis illustratam, atque ita ad posteros transfusam, qualem Maiores tradiderunt. Merito hinc Patres Alexandrini in Epistola Synodica ad Paullum Samosatenum, ita praedicasse Sanctos Patres, et credendum tradidisse scribunt, eumque qui contra sentiret, alienum esse ab Ecclesiastica regula. Teneamus igitur quod vere, proprieque catholicum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.

Cap. V.

PERSONARUM DISTINCTIO UNDENAM REPETENDA.

I. Nimirum id nunc opus est, ut Socinianis, nihil confidentius iactantibus, quam quod in unitate substantiae, atque in trium communione Personarum nihil sit unde personalis

distinctio repetatur, os obstruamus. Desperatam enim illorum caussam hoc etiam infirmo spoliaturi praesidio, traditam a Patribus Personarum distinctionem, suis e fontibus deducendam, atque ipsissimis eorumdem effatis explicandam suscipimus. Verum antequam ulterius progrediamur, vocabula, quae hac in re Patrum, Theologorumque usu trita sunt, explanemus oportet. Exploratissimum enim est, nonnulla a Patribus passim praedicari in Deo tribus Personis communia, cuiusmodi sunt apud Graecos *ουσια*, et *φυσις*, apud Latinos vero *substantia*, *essentia*, ac *natura*; nonnulla autem singularum Personarum propria, quae Graeci *γνωρισματα*, *χαρακτηρας*, *ιδιοματα*, *γνωριστικας ιδιοτητας* dicunt; Latini vero *proprietates*, ac *notiones*.

SECTIO I.

De Graecorum Confessione, in Deo esse μιαν ουσιαν, και τρεις υποστασεις. Quid ουσιας, et υποστασεως valeant voces, pluribus, disputatur.

I. Quamvis apud Graecos, Latinosque Patres summa esset in Trinitatis dogmate consensio, nonnihil tamen ob Graeci, Latinique

sermonis dissimilitudinem inter se discrepabant, unde saepius orta inter utramque partem certamina, quae mutuam illorum communionem abscindere videbantur. Declaranda hinc igitur nobis quae plus contentionis habuere vocabula, cuiusmodi sunt Graecis *ουσια*, et *υποστασις*, Latinis vero *essentia*, *substantia*, sive *natura*, et *persona*.

II. Non inficior equidem nomen *ουσιας* a Catholicis aeque ac ab Arianis, contrariis licet studiis, de Deo proscriptum fuisse, illi quidem quod divinam naturam supra *ουσιαν* esse praedicarent (24), ut Gregorius Nazianzenus testatur *Orat. XII.* et Ioannes Damascenus *Lib. I.* Hi vero quod *ομοουσιου* vocem perhorrerent. Quum tamen *το ον* *esse* ipse sibi Deus vindicet. *Exodi III.* nihil sane vetat quominus *ουσια*, quae inde dimanat, Deo tribuatur (25): Quid quod Gregorius Na-

(24) Non dubito, alteram quoque fuisse caussam, cur *ουσιας* nomen nonnulli Patres de Deo renuebant usurpare, quod *ουσια* Aristotelico sensu subiecta sit accidentibus, unde et *substantia* dicitur, in Deo vero nullum sit accidens. Confer Victorinum *Lib. I. contra Arium*, et *Boëthium Lib. de duab. nat.*

(25) In hunc modum praeclare ratiocinatur Cyrillus *Dialog. I.* quem confersis.

zianzenus in *Lib. de Divinitate ad Evagrium* ουσιας potius nomen, quam φυσεως dandum iubet, quod nimirum a verbo φυγαι descendit, quod est nasci (26).

III. Quo porro sensu ουσιας vocem Patres usurparint, non est cur multis moneam. Aristotelicis enim Categoriis, externorumque philosophorum ablegatis placitis, quibus ar-

---

(26) Fusius de vocabulo Φισεως agit Anastasius Sinaita in Οδηγω *cap. VI.* ubi Aristotelem, Graecosque reliquos Philosophos *fisin* pro persona, et personam pro *fisi* usurpare scribit, idque Ario, Severo, ac ceteris haereticis fraudi fuisse. Pluribus porro ibidem evincit, *fisin* a Patribus aliter accipi, ut sit *usia*, sive essentia. Re quidem vera testes huiusce notionis iam prope innumeros huc adducere possem, in primis vero Gregorium Nazianzenum *Orat. XXXII.* Athanasium *Lib. de Incarnat. Verbi*: Basilium *Lib. I. contra Eunom.* eiusque germanum fratrem Gregorium Nyssenum *Lib. III. contr. Eunom.* nec non Ioannem Damascenum *Dialect. cap. XXX.* Vnde merito Anastasius idem *loc. cit.* tradit *fisin* ex usu Catholicae Ecclesiae nonnisi veram rei alicuius extantiam esse, sive essentiam. Illud non praeteram, ab uno, et fortasse altero Patre *fisin* pro hypostasi, sive persona quandoque acceptam esse, sed infrequens huiusmodi notio, et rara.

mati Trinitatis hostes, nefandum dogmati bellum indixerunt (27), id ex concordi Graecorum Theologorum sententia constat, usian idem esse cum natura, et essentia rei cuiusque, et eam pluribus esse communem; hypostasin autem eamdem illam esse, sed proprietatibus definitam, et uni alicui affixam individuo, sive individuum ipsum ex usia, et proprietatibus conflatum.

---

(27) Sane nulli dubium, quin Aristotelicum calicem biberint haeretici quotquot, qui adversus Catholicam de Trinitate fidem nefandas evomuerunt blasphemias. Scripserat enim Arisiteles *Lib. Categoriar. cap. de Substant. usian*, quae maxime, proprie, ac primo ita vocatur, eam esse, quae neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto inest aliquo: *ut hic homo, hic equus*. Nimirum eam *usiae* notionem adsignat, ut singularem individuamque substantiam significet. Qua ducti auctoritate haeretici substantiam primam, sive individuam in Deo singularem, et solitariam esse effutiverunt, tum secundum essentiam, tum secundum existendi, subsistendive modum. Secus ac Christiani Scriptores, qui usian adpellant non singularem individuamque, sed communem individuis substantiam; primam vero hypostasin.

IV. Discrimen inter ουσιαν, et υποστασιν adprime tradit Damascenus *Cap. XLII. Dialectices* in hunc modum: *Nomen hypostasis duo significat, interdum simplicem existentiam, qua in notione idem est* ουσια *et* υποστασις, *unde quidam ex Sanctis Patribus naturas ipsas ita adpellarunt, nempe hypostases, alias extantiam illam, quae est per se, et propriam habet consistendi notionem, atque in ista significatione individuum significat numero differens.*

V. Duplicem huiusmodi significationem ex Platonicorum penu hausit Damascenus, apud quos υφισταναι υποστηναι interdum simpliciter existere, interdum esse per se significat. Ex quo factum, ut Patrum antiquiores aliquando ipsum esse υποστασεως nomine donaverint, aliquando modum ipsum existendi: nimirum υποστασιν ab ουσια interdum separarunt, interdum vero alteram cum altera confuderunt. Hanc ob rem modo tres in Deo υποστασεις a Patribus proscriptas, modo vindicatas offendimus.

VI. Basilius attamen discriminis inter ουσιαν, et υποστασιν acerrimus extitit adsertor. Ad Terentium enim scribens ait: *Quam habet rationem id quod commune est ad id quod proprium, hanc habet essentia ad hypostasin.* »

Siquidem usia generale quiddam est, et commune, ac minime definitum, ut est homo universe pro specie sumptus: hypostasis vero proprium aliquod, singulare, ac definitum, quod ex illo communi, et peculiaribus cuiusque notis ac proprietatibus veluti componitur, ut Socrates, Plato, qui praeter communem cum ceteris essentiam certas habent qualitates, et proprias quibus ab illis differunt».

VII. In Basilii sententiam omnes hinc discesserunt Patres. Sexcenta enim et praeclarissima habemus testimonia Gregorii Nazianzeni *Orat. XXI.* de S. Athanasio, Gregorii alterius Nysseni Episcopi *Lib. I. adversus Eunomium*; Epiphanii *Haeres. LXXIII.* Isidori Pelusiotae, Joannis Chrysostomi, Cyrilli, Ephraemii; quorum auctoritate locupletissime confirmatum *μιαν ουσιαν unam usiam* esse in Deo, et *τρεις υποστασεις* et *tres hypostases.* Unde Amphilochius apud Damascenum inquit: *qui non confitetur tres υποστασεις in una substantia, is perperam sentit.* Et Theodoretus *Dialog. I.* descivisse docet Christianos Theologos a consueta Philosophorum usurpatione earum vocum *ουσιας*, et *υποστασεος*. Illud enim instar esse generis, et commune esse pluribus; hoc vero peculiare. Nam,

subdit *et υποστασιν et personam, et proprietates idem significare dicimus Sanctorum Patrum definitiones sequuti.* Rogat Eranistes apud eumdem: *Estne aliqua differentia inter substantiam, et hypostasim?* Orthodox. *si externa quidem spectetur sapientia, nulla est: Nam et substantia, seu essentia, idem significat, et id quod subsistit est hypostasis. Sed si patrum doctrina attendatur, quam habet differentiam commune, et proprium, vel genus et species ac individuum, eamdem habet substantia, et hypostasis.*

VIII. Mirum porro est quas turbas Antiochiae post medium Saeculum IV. dederit hypostaseos ambiguitas, propter quam, ut S. Gregorius Nazianzenus inquit *Orat. XXI. de laud. S. Athanas. eo tandem res adducta est, ut periculum esset, ne orbis terrarum fines una cum syllabis abrumperentur.* Iampridem enim in Concilio Alexandrino, anno plus minus CCCXX. ad praefocandam Arii nascentem haeresim coacto, distingui coeperat ουσια, et υποστασις, fatentibus Graecis μιαν ουσιαν, και τρεις υποστασεις *unam essentiam, et tres hypostases.* Nec de eo effato quaestio interciderat ad annum usque CCCLXI: quo longe maior controversia in Antiochena

Ecclesia exarsit inter Meletianos, et Paulinianos, utrosque orthodoxos (28).

(28) Eudoxio pseudo-Episcopo Antiocheno Arianarum partium fautore anno CCCXL. Constantinopolim translato, multi sedem Antiochenam occupare contendebant, et certamina, ac seditiones variae tum in Clero, tum in populo excitatae sunt. Nam singuli eum, quem sperabant secum fide consensurum, ad Ecclesiam gubernandam delegerunt. Percommodum hinc visum est Eudoxianis, qui proinde cum Arianis sentiebant. Meletium Sebastia Antiochiam transferre, virum tum ad dicendum, tum ad persuadendum valde idoneum, et ipsa quoque vitae ratione spectatum. Sperabant enim fore, ut Meletius pro ea qua pollebat existimatione Antiochenos incolas, accolasque, et fortasse ipsos etiam Eustathianos, qui Nicaenam fidem tenebant, omnino ad Arianas partes adtracturus esset. Sed longe ipsos sua fefellit opinio. Nam ubi venit Antiochiam, magna populi multitudo eo dicitur convenisse, partim ut eum viderent, partim ut quid dicturus, et quibus partibus esset suffragaturus, intelligerent. Is vero varias conciones ad mores informandos habuit, postremo autem Filium eiusdem cum Patre substantiae esse palam adseruit. Haec Sozomenus *Lib. IV. cap. XXVI.* qui praeterea narrat, Archidiaconum illius cleri, dum adhuc Meletius concionaretur, ad eum adcurrisse, et manu admota, eius os obturasse; eum autem manu multo evidentius, quam voce,

IX. Meletiani enim unam *ουσιαν*, seu essentiam, et tres hypostases praedicabant. Pau-

---

sententiam suam populo indicasse: Nam primum tres digitos palam, ut omnes viderent, extendisse; deinde eosdem rursus compressisse; uno solo porrecto, qua quidem manus suae figura, tamquam effigie quadam, populo expressit tum quae sentiret, tum quae dicere constituisset. Eustathiani exclamare, gestire, et prae gaudio tripudiare incoeperunt. Ariani autem indignati sunt quam qui maxime. Operam hinc dederunt hi ut Meletius urbe illa pelleretur, quamobrem Constantis Imperatoris vi et Ecclesia exturbatus, et in exsilium eiectus est, Euzojo Ariano in eius locum suffecto. Confersis Sozomenum *loc. cit.* Epiphanium *haeres. LXXIII.* Ruffinum *Lib. I.* Constantio Imperatore defuncto, Meletius sub Apostata Iuliano sedem recuperavit. Inter haec Lucifer Episcopus Calaritanus, et ipse exsul fidei caussa a Synodo Alexandrina ad conciliandos simul Eustathianos cum Meletianis missus, imprudenti consilio, ut schisma tolleret Paulinum catholicum et sanctum virum, et per omnia sacerdotio dignum ad Antiochenam sedem evexit. Eusthatiani Paulinum e vestigio sectati sunt, non autem Meletiani, Meletio antistiti constanter adhaerentes. Hinc inter ipsos Catholicos, Meletianos nempe, Paulinianosque dissidium ortum, quod alii unicam et singularem hypostasim in Deo profiterentur, alii tres. Confer Ruffinum *loc. cit.* et Socratem *Lib. II. cap. XXIV.*

*

liniani contra tres hypostases dicere reformidabant, ne tres diversae substantiae Ariano sensu trium hypostaseωn nomine inducerentur. Contendebant hinc unam hypostasim esse in Deo et tres personas, quod Meletiani adprime aversabantur, ne hac dicendi formula extincta Sabellianorum haeresis exuscitaretur. Res eo deducta, ut Pauliniani Meletianos Arianismi accusarent, ipsi vero Paulinianos in suspicionem Sabellianismi adducerent. *Ridiculum prorsus*, ait S. Gregorius Nazianzenus *Orat. XXI. et miserandum erat. Diversae fidei speciem praebuit levis, et ieiuna de vocum sono altercatio.*

X. Vniversam tamen controversiam de plano composuit Sanctus Athanasius in Concilio Alexandrino an. CCCLXII. Vocatis enim Meletianis, Paulinianisque, et singulorum doctrina sedulo perpensa, pugnam omnem in meris vocabulis detexit, non autem in fide. Qui enim tres hypostases dicere reformidabant, hypostasis nomine naturam seu essentiam intelligebant, quae multiplex in Deo nec esse, nec dici potest. Qui contra tres hypostases praedicabant, hypostasis voce nonnisi personam, quae trina in Deo recte statuitur, innuebant.

---

nec non Eminentissimum Baronium *in Annal. Eccles.*

Beatus ille vir Athanasius (inquit S. Gregorius Nazianz. *loc. cit.*) *et vere homo Dei, magnusque animarum dispensator, utraque parte leniter, et benigne accita, verborumque sententia diligenter et accurate perpensa, posteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus eos constrinxerit.*

XI. Quum tamen trium hypostasum exigeretur confessio, aegre id S. Hieronymus ferens ad Damasum Romanum Pontificem scripsit (*epist. XV.*) *Tota saecularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit* (29). *Et quisnam, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, aequales, coaequales. Taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur* (30). Nec vanus omni-

---

(29) Halucinatum hac in re fuisse Hieronymum, aperte contendunt Gulielmus Budaeus, et Henricus Stephanus, Graecae linguae peritissimi, quorum sententiam multi multis confirmant.

(30) Praestat universam Hieronymi expostulationem hoc loco adferre. » Nunc igitur proh dolor! post Nicaenam fidem, post Alexandrinum, iuncto pariter Occidente, decretum trium hypostaseon ab

no Hieronymi timor erat, siquidem noverat, eamdem dicendi formulam aliquando usur-

---

Arianorum prole, et Campensibus (nimirum a Meletianis vexabatur Hieronymus, quos ideo fortasse *Campenses* adpellat, quod Ecclesiis urbicis exclusi, extra urbem in campis conventus suos haberent, de qua re Socrates *Lib. III cap. VIII.*) novellum a me homine Romano nomen exigitur . . . Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres Personas subsistentes, aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus: ipsum nomen efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, ut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, haeretici iudicamur. Decernite obsecro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere. Si iubetis, condatur nova post Nicaenam fides; et similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi. Tota saecularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit. Et quisnam, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? Taceantur tres hypostases si placet, et una teneatur . . . Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed, mihi credite, venenum sub melle latet: transfiguravit se Angelus Satanae in Angelum lucis . . . Quid tam anxie unum verbum tenent? Quid sub ambiguo sermone latitant? si sic credunt, ut interpretantur,

passe Arianos (31). Quid quod de hac re nec omnino convictus fuisse videtur Sanctus Augustinus (32). Verum passim utraque vox hypostasis, et personae ad divinam designandam subsistentiam ubique obtinuit. Hinc in Con-

---

non damno quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, permittant et mihi meis verbis suum sensum loqui . . . Obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi salutem, per ομοουσιον Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum Hypostasum detur auctoritas ».

(31) Confer Epistolam Synodicam Patrum Concilii Sardicensis apud Theodoretum *Hist. Eccles. Lib. II. cap. VIII.*

(32) Haec nimirum de Graecis habet *Lib. V. de Trinitate cap. VIII.* » Dicunt quidem et illi hypostases; sed nescio quid volunt interesse inter usian, et hypostasin: ita ut plerique nostri, qui haec graeco tractant eloquio, dicere consueverint *μιαν ουσιαν, τρεις υποστασεις*, quod est latine unam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem personas, quemadmodum multi Latini haec tractantes, et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, quo enunciarent verbis, quod sine verbis intelligebant ».

cilio Calcedonensi *Act. V.* in secunda fidei confessione a Patribus adfirmatum est, *naturas divinam, et humanam inconfuse indivise in Christo unitas esse, et concurrere εις εν προσωπον και μιαν υποστασιν, in unam personam, atque substantiam.* Eamdem habes vocem in Concilio Ephesino anathemate IV. Mox communis factus est is sermo apud Patres, omnisque dissensus evanuit. Latini enim non dubitant dicere una cum Graecis, in Deo esse unam essentiam, et tres hypostases; nec Graeci recusant nobiscum fateri, unam divinam substantiam, et tres personas (33).

Sectio II.

De concordi Latinorum confessione, in Deo esse unam naturam, et tres personas.

I. Quod Graeci unam usian et fisin, tres vero hypostases in Deo praedicabant, idem

(33) Habes formulam in Concilio IV. Lateranensi sub Innocentio III. *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura omnino simplex.*

tenuere Latini, unam essentiam, substantiam, sive naturam, et tres personas confitentes. Quemadmodum vero Orientales illi usiae vocem renuerunt aliquando, quod Deus *υπερ ουσιαν supra usiam* sit, ita Latini quoque substantiam proprie Deo non tribui putabant, siquidem, ut Augustinus docet *Lib. VII. de Trinit. cap. V.* » De his rebus substantiae nomen accipitur, in quibus subiectis sunt ea, quae in aliquo subiecto esse dicuntur, sicut color, aut forma in corpore, in Deo autem nihil subsistit, tamquam in subiecto. Nefas est enim dicere ut subsistat, et subsit Deus bonitati suae; atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tamquam in subiecto. Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia: quod vere, ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est ».

II. Quum tamen in Sacris Scripturis non raro substantiae nomen Deo tribuatur, non id ablegandum merito censuerunt Catholici Patres. *In supernis quidem* (ait Victorinus Afer *Lib. IV. contra Arium*) *et circa Deum maxime nomen non credunt convenire*

substantiae. Sed cur a nobis fugiatur hoc verbum, cum esse cuique, hoc ei sit esse substantiam? Et in Ieremia XXIII. 18. *Deus loquens: quod si in mea substantia staretis, videretis verbum meum.* Multi porro multa huiusmodi exempla ex sanctis libris congerunt (34), quorum instar duo proferam paene decretoria; veluti in Epistola Apostoli ad Hebraeos: ET FIGURA SUBSTANTIAE EIUS, et in *Psalmo CXXXVIII.* 15. ET SUBSTANTIA MEA IN INFERIORIBUS TERRAE.

III. Passim igitur nomen id ab occidentis Ecclesiae Patribus usurpatum, eodemque sensu, quo Graeci ουσιαν. Hinc Hilarius *Lib. de Trinit. non unum esse*, ait, *subsistentem, sed unam substantiam non differentem.* Ambrosius item *Epist. LXIII. Trinitatem*, ait, *unius esse substantiae, maiestatis, divinitatis.* Augustinus quoque *Lib. V. de Trinit. cap. II.* » Est tamen Deus sine dubitatione substantia: vel si melius hoc adpel-

(34) Dignus qui consulatur Soebadius in *Lib. contra Arianos*, qui plura in hanc rem Scripturarum confert loca, itemque Victor Episcopus in fidei ratione Hunnerico regi oblata *Biblioth Patr. tom. IV.* Tum latissime Ambrosius *Lib. III. de fide cap. VI.*

latur, essentia, quam Graeci ουσιαν vocant; sed aliae quae dicuntur essentiae sive substantiae, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio: Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest: et ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia, quae Deus est «.

IV. Succedit *naturae* vox, quam haud proprie de Deo dici arbitrabantur Patres, quod a nascendo derivet Lactantius hinc *Lib. de Ira Dei cap. XV. Nolo*, ait, *naturam dicere, quia Deus noster numquam creditur natus*. Ex quo cavillandi ansam adripuere Ariani, ut eiusdem naturae, cuius Pater est, non esse contenderent Filium, quibus strenue restitit Augustinus *Lib. III. contr. Maximin. cap. XV.* » Sed forte quia natus non est, ideo eum non vultis esse naturam. Putatis enim, quod a nascendo natura sit dicta. Scitote ergo, quod unaquaeque res esse dicitur per substantiam, hoc esse utique per naturam. Certe si non putatis esse dicendum, eiusdem Filium, cuius Pater est, esse naturae, dicite, cuius Pater est substantiae, et ad causam, quae inter nos agitur, sufficit nobis ». Immo Ambrosius *Lib. de Incarnat. Ch. cap. VIII.* Arianis obiicientibus, naturae vocem in Sanctis Scripturis de Deo non in-

veniri, Apostoli illud *II. ad Timoth. cap. I.* 24. PER HAEC EFFICIAMINI DIVINAE CONSORTES NATURAE opportunissime opponit.

V. Superest ut de *personae* vocabulo nonnihil dicamus, quam ad id indicandum Latini Patres usurparunt, quod in Trinitate singulare est, minimeque commune; siquidem trium numerus, discrimenque ex propriis cuiusque conditionibus constat, non vero ex iis quae secundum naturam congruunt. Larvas histrionibus inductas personas dixere Latini a personando (35) (invita licet syllabae quan-

(35) Haec fortasse Boëthius ex A. Gellio mutuatus est, cuius verba *Noct. Attic. lib. V. cap. VII.* hoc loco referre praestat: *Lepide mehercules et scite Gabius Bassus in libris, quos de origine vocabulorum composuit, unde adpellata persona sit, interpretatur: a personando enim id vocabulum factum esse coniectat. Nam caput,* inquit, *et os cooperimento personae tectum, undique tantum vocis emittendae via pervium, quoniam non vaga, neque diffusa est, in unum tantummodo exitum collectam, coactamque vocem, et magis claros canorosque sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit: ob eam causam persona dicta est, o littera, propter vocabuli formam, productiore.*

titate), quia concavitate ipsa maior necesse est volvatur sonus, inquit Boëthius *Lib. de duab. Ch. nat.* subditque, *personas* a Graecis vocari *προσωπα*, *παρα το προς τας ωπας τιϑεσϑαι* quod obtegant vultum. Sed quoniam personis inductis histriones; individuos homines, quorum intererat, in tragoedia, vel comoedia, repraesentabant, veluti Hecubam, vel Medeam, vel Simonem, vel Cremetem, idcirco ceteros quoque homines, quorum certa pro sui forma esset agnitio, et Latini personas, et Graeci *προσωπα* nuncuparunt.

VI. Sabelliani itaque hanc modo tenus, nec ulterius personarum significationem proferentes, comminisci potuerunt Filium, et Spiritum Sanctum duas tantum Dei adpellationes ex effectis sumptas in unum Patrem convenientes. Quasi nimirum (sic enim fraudes eorum S. Basilius exponit *Quaest.* 359.) *Deus modo Patri congruentes sibi voces assumat, quoties istiusmodi persona opus est: modo Filio consentaneas, quando ad rerum nostrarum procurationem, aut alias dispensatorias functiones se se dimittit: modo denique Spiritus Sancti personam induat, cum ex huiusmodi persona profectas tales voces tempus exegerit.* Quem sane haereticorum fucum ubi detexerint Patres, ita Personarum

confessionem ab illis reposcebant, ut eas subsistentes agnoscerent, ac faterentur in Deo tria πρόσωπα ἐνυπόστατα, seu tres subsistentes personas.

VII. Mirum tamen est quod Boëthium, veluti corruptae latinitatis reum accusat Valla, quod personam definierit *rationalis naturae individuam substantiam*. Nec patitur, personae nomine substantiam usurpari, sed contendit apud Latinos solum rei qualitatem eo nomine significari, propterea nimirum quod in Deo tres personas, non autem tres substantias fatemur. Litteratum Vallam pluribus exagitat Litteratissimus Petavius *Lib. IV. de Trin. cap. IV.* Ego vero utcumque dederim, qualitatem potius quam substantiam personae nomine significari, non video tamen quo pacto non adverterit in Boëthiana definitione substantiam usurpari non simpliciter, sed *conditionate*, aut si placet, qualitate *incommunicabilitatis* indutam, quum dicitur individua. Quo fit, ut cum tres personas dicimus, non continuo tres substantias, sed tres subsistentes oporteat intelligi (36).

(36) Profecto non viderat Valla Tullii locum egregium in quo persona non pro qualitate, sed pro substantia ponitur. *At vereor*, inquit Tullius,

VIII. Haec adversus Vallam disputantes ad implicatissimam illam quaestionem manuducimur, quae Theologorum ingenia torsisse videtur: ecquidnam potius persona significet, essentiamne, an relationem? Paucis rem declarabo, illudque praemittam, huiusmodi vocem *concretam* esse, et ex duobus constare, quorum alterum subiecti vices gerit, alterum formae, qua subiectum afficitur. Natura enim seu essentia divina subiecti instar concipitur, proprietas relativa vero veluti ipsius

---

ne talium personarum cum amplificare velim, imminuam etiam gloriam. Et mox: *restat ut iis respondeam, qui sermonibus eiusmodi nolint personas tam graves illigari.* Eodem modo *II. Agrar. Grave est enim nomen imperii, atque etiam in levi persona pertimescitur.* Sexcenta hoc genus exempla in Legibus patent. Omne ius vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, ait Imperator *Inst. Lib. Tit.* 2. Hinc Personales actiones, *L.* 24. §. 2. *D. de oblig. et act.* Personalia interdicta *L.* 2. §. *ult. D. de interdict.* Personales constitutiones *L.* 1. *D. de Constit. Princip.* Personalia beneficia *L.* 13. *D. sol. mat.* Personalia munera *L. ult. D. de muner. et honor.* Immo quae personarum servitutes dicuntur *L.* 1. *D. de servit.* et *L.* 14. §. 1. *D. de alim.* eaedem et hominum servitutes adpellantur. *L.* 15. *cod.* Haec quum ita sint, non video qua fronte Valla Boëthium accuset,

forma subiecti. Quamobrem hoc pacto constitui Personam Patris intelligimus, nimirum ex essentia divina, et paternitate. Intelligimus tamen nostro quidem concipiendi modo, reipsa namque propter summam, et infinitam Dei simplicitatem nulla in Deo est, aut esse potest compositio. Unde etiam in Concilio Senonensi adversus Petrum Abaëlardum decreverunt Patres, Personas Divinas nullo modo esse compositas.

IX. Etsi vero ex hisce duobus, essentia nempe, et proprietate constet *Persona*, utram tamen partem directe, proprieque ea significet, quaeritur adhuc. Nonnullis enim visum est, huiusmodi nomen absolutum esse, et essentiam Divinam non secus indicare, ac ipsa vox *Deus*, quemadmodum Hugo Victorinus *Tract. I. Sum. Sent. cap. IX.* et Sententiarum Magister Petrus Lombardus *Dist. XXIII.* sibi suaserunt. Mihi autem non secus res statuenda videtur, quam si quaeratur quid denotet *albedo*; etsi enim duo animo concipimus, corpus nimirum, quod ea qualitate afficitur, et qualitatem ipsam: magis tamen proprie qualitas, quam materia significari dicitur. Quod enimvero Graecorum, Latinorumque Patrum, nec non Conciliorum auctoritate abunde confirmare possem, quae

id sane dici non patitur, *personae* vocabulo eam subiici notionem, quae essentiam, sive substantiam, naturamque proprie exprimat. Clarissimus Petavius autem, qui in hac ipsa stabilienda, tuendaque sententia quam doctissime versatur *Dogm. Theol. Lib. IV. cap. XI.* Augustinum quoque in adversam opinionem coniicit propter ea quae Sanctus Pontifex habet *Lib. VII. de Trinit. cap. II.* a quo proinde discedere cogitur.

X. Verumtamen utcumque Petavio concedam, non alia profecto, nisi quam propugnamus, cunctis Patribus, Conciliisque consentaneam doctrinam, ab Augustino doceri mihi perspicue videtur in *Epist. CLXX.* ubi personae nomine non naturam, sed relationem indicari aperte contra Arianos ostendit: *Quis non videt*, inquit, *ista vocabula*, *Patris*, *et Filii*, *non in seipsis demonstrare naturas*, *sed alterius ad alterum significare personas*? Quin ut eorumdem technas dilueret, quod nimirum Filius alterius esset naturae, diversaeque substantiae, quia Pater Deus non est de altero Deo, Filius autem est de Patre Deo; ita praeclare argumentationem perstringit: *Hic non indicatur substantia*, *sed origo*, *idest non quid sit*, *sed unde sit quisque*, *vel non sit*. Rem hinc exemplo Adam, et Abel illu-

strat, quorum iste fuit homo de homine illo, ille autem de nullo; » si ergo quaeratur utriusque natura, homo Abel, homo Adam; si autem origo, primus homo, ex quo Abel, nullus homo ex quo Adam. Ita in Deo Patre, et Deo Filio; si utriusque natura quaeratur, uterque Deus, nec magis alter altero Deus: si autem origo, Pater est Deus: de quo autem Pater, nullus est Deus ».

Non igitur, vel ipso Augustino auctore, essentiam divinam *personae* vox indicat (secus enim non liceret dicere tres Divinas Personas, nec cum Ecclesia fateri: *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*) sed tum divinam essentiam, tum relationem. Persona namque, ut opportune Sanctus Thomas disputat, id in quacumque natura significat, quod est in natura illa individuum, et ab aliis distinctum. Sed distinctum in Divinis nonnisi fit per relationes. Relationes vero divinae non sunt accidentia, quae subiecto inhaerent, sed sunt ipsa divina essentia. Vnde quaelibet relatio est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita Paternitas Divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem.

SECTIO III.

Relativis proprietatibus Divinas Personas constitui, et distingui, ex Graecis, Latinisque Patribus evincitur.

I. Opportuna, utilissimaque vocabulorum explicatione perfuncti, ad Personarum constitutionem, distinctionemque definiendam manuducimur, quod paucis expediemus. Quum omnia in Deo unum idemque sint, nihilque sit in una Persona, quod commune cum aliis non sit, luculentissime quisquis intelliget, nonnisi a relativis proprietatibus Divinas Personas constitui, et distingui; quemadmodum aperte praedicat Ecclesia in praefatione Missae SS. Trinitatis: *Vt in confessione verae, sempiternaeque Deitatis*, *et* IN PERSONIS PROPRIETAS, *et in essentia unitas*, *et in maiestate adoretur aequalitas.*

II. Clarissimam rem, nullaque indigam illustratione, ad praefocandam, offocandamque quorumvis pervicaciam, concordi Latinorum, Graecorumque Patrum suffragio firmare nunc animus est. Augustinus profecto dignus, quem primo audiamus *Lib. VI. de Trinit. cap. V.*: *Quamvis diversum sit Patrem esse*, *et Fili-*

um esse, non est tamen diversa substantia, quia haec non secundum substantiam dicuntur: sed secundum relativum (37). Praeter

(37) Haec nimirum Augustinus Arianis opponit, qui sic argumentabantur ibidem *cap. III. Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est; et genitum esse Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse; diversa est ergo substantia Patris, et Filii.* Cavillantibus igitur occurrit Augustinus, docens primo, quae de Trinitate dicuntur, partim ad se, vel in seipsis, partim ad invicem sive ad alterutrum dici. Ad se illa dicuntur, quae absolute adfirmantur: ut Deus, bonus, verus, et id genus alia: Ad alterum quae relativa sunt, ut Pater, Filius *cet.* Priora autem illa secundum substantiam dici, Augustinus adserit, posteriora vero non secundum substantiam: neque tamen secundum accidens. Nam inter substantiam, et accidens medium est quod relativum vocatur. *Quidquid de Deo dicitur*, (verba Augustini sunt adversus Arianos) *vel intelligitur, non secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est: nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid; sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Pater, et ille semper Filius.* Et paullo post: *Si vero quod di-*

igitur essentiam, et id quod secundum naturam convenit; nihil in Deo nisi relativum agnoscit Augustinus. Et in sequenti libro *Cap. I.* quae prius disputaverat colligens: *diximus alibi*, inquit, *ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas Personas pertinentia, quae relative dicuntur ad invicem; sicut Pater, et Filius, et utriusque donum Spiritus Sanctus.* Praeclara insuper sunt quae et in *tractatu XXXIX. in Evangelium Ioannis* opportune Sanctus Pontifex disputat: *Trinitas unus Deus; Trinitas una aeternitas, una potestas, una maiestas: Tres Personae, sed non Dii. Non mihi calumniator respondeat, quid ergo tres? si enim tres ait, oportet dicat quid tres. Respondeo, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Ecce inquit, tres*

---

citur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius. Sed quia et Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius; et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam haec dicuntur: quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur: neque tamen secundum accidens: quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum, atque incommutabile est eis.

dixisti : sed quid tres exprime. Imo tu numeras ; nam ego compleo tres , cum dico Pater , et Filius , et Spiritus Sanctus. Id enim quod Pater ad se est , Deus est : quod ad Filium est , Pater est , quod Filius ad seipsum est , Deus est : quod ad Patrem est Filius est. Mox paucis omnia complectens inquit , *hoc solo numerum insinuant , quod ad invicem sunt , non quod ad se sunt.* Et *Serm. LVIII. de Verbis Domini*: » Nec alia aliqua caussa est , quae divisionem faciat Personarum , nisi quod hic ingenitus est , et ille genitus , id est hic Pater est , et ille Filius : quia Pater semper Pater est , numquam Filius , quia ut diximus , non est genitus , sed ipse genuit. Et Filius semper Filius est , numquam Pater , quia non genuit , sed genitus est ».

III. Augustino concinit Sanctus Hieronymus in *Exposit. fidei ad Damasum* : *Impietatem Sabellii declinantes , tres expressas Personas sub proprietatibus distinguimus.* Et disertissime Fulgentius *Lib. de Trinitate* : » Pater non sibi est , sed Filio , Filius non sibi est , sed Patri , Spiritus alicuius est adspirantis ; ergo ad Patrem , Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt : essentialia vero nullo modo triplicantur ». Boëthius etiam *Lib. de Trinit.* » Substantia con-

tinet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem, atque separatim, quae relationis sunt ». Eodem modo Isidorus Hispalensis *Lib. de differentiis n. II. In relatione Personarum Trinitas est, in substantia vero naturae unus Deus est, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

IV. Consona habet Anselmus *Lib. de Proces. Sp. Sanct.* » Haec itaque sola caussa pluralitatis est in Deo, ut Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus dici non possint de invicem; sed alii, sicut ab invicem, quia praedictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio ». Et S. Bernardus denique *Epist. CXC.* nonnisi relativis proprietatibus Divinas distingui Personas praedicat adversus Petrum Abaeardum: *Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, Personarum sane designatio est, non unitatis divisio.*

V. Ad Graecos Patres oportet nunc accedamus, qui cum Latinis amicissime consentiunt. Duo enim in Deo, nostra intelligendi ratione, discreta agnoscunt, quorum alterum commune tribus est, cuiusmodi est natura, sive essentia, quam Divinitatem adpellant: alterum proprium, ut sunt ἰδιοτητες *proprietates*; ex quorum complexu Personarum Tri-

nitas existit. Basilius primum id aperte praedicat *Epist. CCCXLIX. In Deo usiae ratio communis est, velut bonitas, divinitas, et si quid aliud intelligatur. At hypostasis in proprietate Paternitatis, aut Filietatis, aut virtutis sanctificantis cernitur.* Et in *Epist. CCCXCI.* κοινον η θεοτης; ιδιον η πατροτης, *commune est Deitas; proprium est Paternitas; utroque ergo coniuncto ita profitendum est: Credo in Deum Patrem.*

VI. Idem sane habet Gregorius Nazianzenus cum alibi, tum disertissime in *Orat. XXIII.* ubi ait: cum legitur, EGO ET PATER UNUM SUMUS, essentiae coniunctionem ob oculos habendam, cum autem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti nomen auditur, proprietates tres esse cogitandas. Quod quidem repetit in *Orat. XXIX. Adoramus Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum; ita ut proprietates distinguamus, divinitatem autem unam faciamus.* Et in *Orat. XXVII. Tria haec unum divinitate sunt: et unum hoc, proprietatibus sunt tria.* Nec porro minus luculenta sunt, quae Gregorius Nyssenus tradit *Lib. I. advers. Eunom.* » Nam essentiae ratione est unum. Ideo in unum nomen respicere Dominus lege sua constituit, sed secundum proprietates, quibus hypostases digno-

scuntur, in Patris, et Filii, et Spiritus Sancti fidem dividitur, sine separatione partitum, et citra confusionem unitum ».

VII. Cyrillus quoque passim Deum ita unum esse praedicat, ut sit Personarum Trinitas; unum autem secundum essentiam, divinitatem, et cetera quae communia sunt, tria vero eo ipso, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus vocantur. Hinc in *Dial. II. de Trinit.* » Si quis divinam naturam nominet, integram nobis, ut in uno significato, statim nobis expressit Sanctissimam Trinitatem, quae in una intelligitur Deitate: sed nondum determinate unius privatim personam indicat. At vero si quis Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum nominet, non ex iis, quae sine ullo discrimine, tota natura Divinitatis est, declarationem facit; sed ex iis quibus Sanctae Trinitatis eadem essentia in propriis hypostasibus dignoscitur ». Et *Lib. XI. Comment. in Ioan. cap. II.* » Nihil est, quod Filium a Patre dividat, ac differre faciat, quo minus in omnibus similis, aequalisque sit, praeter hoc unum, quod Pater est ».

VIII. Eodem modo Auctor *Dialogi de Trinitate*, qui vulgo Athanasio inscribitur. Anomaeus enim interrogat: *Nullane ergo differentia est Patris, et Filii, et Spiritus San-*

cti? Orthodoxus respondet: *In natura nulla, in voluntate nulla; in eo quod est gignere, et gigni, emitti, et procedere, inest aliqua.* Quod sane confirmat calculo suo Joannes Damascenus *Lib. I. de fide Orthodox. cap. XI.*. » In omnibus unum sunt Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, excepto eo, quod est ingenitum esse, et genitum, et procedere: cogitatione vero divisio constat. Nam unum Deum cognoscimus: sed in solis proprietatibus Paternitatis, Filietatis, et Processionis, ac secundum rationem Principii, et Principiati, et perfecti hypostasis, sive modi existendi discrimen intelligimus ».

IX. Patribus Concilia subnectimus. Et primo Toletanum XI. *in Professione fidei*: » In relatione Personarum numerus cernitur, et in hoc numero carent quod ad se sunt. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est. Et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris, et Filii praedicatur ». Similia decrevit Concilium Lateranense IV. *Cap. firmiter. Sanctissima Trinitas secundum communem essentiam est indivisa, secundum vero personales proprietates est discreta.* Disertius vero Florentina Sy-

nodus *Ses. I. Personas divinas per suas proprietates differre.* Et *Ses. XVIII.* » Persona ex substantia proprietatibusque consistit. Quoniam autem secundum intelligentiam, et rationem, essentia et proprietates distinguuntur; essentia Personis communicatur; at proprietates nullo modo communicant. Atque hoc ex vi relationis oritur ».

X. Ex his igitur omnibus, quae huc usque Sanctorum Patrum auctoritate firmavimus, id apertissime constat, nullam aliam peculiarem esse Filii notam, et proprietatem, qua a Patre dignoscatur et separetur, quam Filii, nati, et geniti; Patris itidem nullam aliam, nisi Patris, auctoris, ac generantis; Spiritus Sancti demum nullam nisi quod a Patre Filioque procedat.

XI. Quamobrem merito ab iisdem Patribus quatuor huiusmodi designantur relationes. *Paternitas nimirum*, sive ratio gignentis ad genitum, qua prima Persona refertur ad secundam, quam genuit; *Filiatio*, sive ratio geniti ad gignentem, qua secunda refertur ad primam, a qua genitus est; *Spiratio activa*, sive ratio spirantis ad spiratum, qua Pater et Filius mutuo amore Spiritum Sanctum producunt; *Spiratio passiva*, sive ratio spirati

ad spirantem, qua Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit.

XII. Porro relationes huiusmodi realiter in Divinis Personis dari, non vero ex intelligentiae nostrae ratione dumtaxat, vel ex eo abunde patet, quod Personas Divinas inter se realiter distingui, adversus insanientem Sabellium universa Catholica Ecclesia semper, et ubique tenuerit. Quum enim Personae divinae inter se distingui nequeant per absolutum aliquid, non quidem per sapientiam, neque per bonitatem, potentiam, vel alia hoc genus adtributa, quae tribus Personis communia sunt, sed tantum per proprietates relativas, profecto eiusmodi omnino danda est inter Divinas Personas distinctio, cuiusmodi sunt relationes. Quod si relationes reales non sunt, quomodo distinctio realis erit (38)? quod si distinctio realis non

(38) Ne porro effutiat aliquis, Deum vere posse esse Patrem, quin reali aliqua relatione ad Filium referatur, ex eo quidem, quod Deus vere omnium rerum Creator, et Dominus sit, quin tamen ulla in eo ponatur realis relatio ad creaturas, opportunissime Sanctus Thomas *I. P. Quaest. XIII. art. VII.* relationes distinguit, quae sunt inter duo extrema diversi ordinis. Illae quidem sunt ex utraque parte reales, aliae vero

erit, quomodo dices Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum tres esse personas? quo-

---

non. Ex quibus rem ita conficit ibidem: *Quum igitur Deus sit extra totum ordinem creaturae, et omnes creaturae ordinentur ad ipsum, et non e converso, manifestum est quod creaturae realiter referuntur ad ipsum Deum, sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas, sed secundum rationem tantum, in quantum creaturae referuntur ad ipsum.* Non eadem igitur est ratio relationis inter Divinas Personas, et relationis Dei ad creaturas. Illa quidem est mutua, quia extrema sunt eiusdem ordinis; altera vero non est, quia extrema sunt diversi ordinis. Atque hac ipsa doctrina et altera cavillatio exsufflatur, quod Maria vere Mater Dei sit, nec tamen Verbum Divinum realiter ad Mariam referatur. Quum enim Verbum Divinum altioris sit ordinis, quam Mater, eamque infinito superet intervallo, non potest relatione reali ad ipsam referri; Secus enim Verbum Divinum in sua incarnatione reale aliquid de novo adquisivisset, quod de Deo repugnat. Sicut ergo in hoc mysterio tota mutatio facta est in natura humana, quae adsumpta fuit in consortium naturae Divinae, ita tota relatio realis est in Maria Virgine, quae realiter facta est Mater Dei; in Persona autem Divina non est nisi relatio rationis, sive ex nostro concipiendi modo, non vero est relatio mutua, quia Personae sunt diversi ordinis.

modo repugnet ut Pater sit Filius, aut Filius Pater, aut denique Pater et Filius sit Spiritus Sanctus?

SCHOLION. Relationes in Divinis Personis distinguuntur tum inter se, tum a Divina Essentia, tum a Personis ipsis, quibus insunt. Et I. Relationes quae sibi mutuo opponuntur, ut Paternitas, et Filietas, spiratio activa, et passiva, inter se realiter distinguuntur. Quae vero sibi mutuo non opponuntur, ut Paternitas, et Spiratio activa, non distinguuntur, nisi nostra tantum intelligendi ratione. Huc enim pertinet vulgatum illud axioma: *in Deo sunt omnia unum, et idem, ubi mutua non intercedit oppositio.* II. Relationes in Divinis Personis non distinguuntur realiter ab essentia Divina, ut contra Gilbertum Porretanum in Concilio Remensi, et contra Abbatem Ioachimum in Concilio Lateranensi IV: decretum est. *Et ideo* (verba sunt Concilii *cap. II.*) *in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest.* III. Relationes non distinguuntur realiter a Personis Divinis, quibus insunt, unde *Paternitas*, et

Spiratio activa idem omnino sunt cum Persona Filii; et *Spiratio passiva* cum Spiritu Sancto. Distinguuntur tamen realiter a Personis, quibus opponuntur; unde *Paternitas* realiter distinguitur a Persona Filii, *Filiatio* a Patre, *Spiratio activa* Patris et Filii a Spiritu Sancto, ac demum *Spiratio passiva* a Patre et Filio.

Sectio IV.

Characteres, et notiones, quibus Divinae Personae dignoscuntur, numerantur, et illustrantur.

I. Reliquum id unum modo est ad absolutam huius capitis explanationem, ut ἰδιώματα, γνωρίσματα, vel γνωριστικὰς ἰδιότητας, *notas, characteres*, vel *propria signa*, quibus una ab alia Persona dignoscitur, quoad dicendi ratio patitur, generatim explicemus, quas deinde singillatim excutiamus, quum de singulis Personis agere instituemus.

II. Personales hasce proprietates communi nomine Latini Theologi *notiones* adpellarunt, Augustini vestigia ingressi, quippe *Lib. V. de Trin. cap. V. Alia*, inquit, *notio est, qua intelligitur genitor, alia, qua ingeni-*

tus. Quamvis autem ibi notio communi significatione pro ἐννοια et intelligentia ab Augustino usurpata fuerit, ad eum tamen sensum traducta est, quo a Sancto Thoma definitur *Part. I. Quaest. XXXII. art.* 13. *Id quod est propria ratio cognoscendi Divinam Personam*, cuiusmodi quinque recenset, *innascibilitatem*, *paternitatem*, *filiationem*, *communem spirationem*, quae *activa* dicitur, et *processionem*, quam *passivam spirationem* adpellant (39). Priores illae duae Personam Patris exprimunt, qui dicitur *innascibilis*, quia a nullo procedit, et dicitur *Pater*, quia generat Verbum, seu Filium. *Filiatio* vero est notio Verbi, siquidem ex sacris litteris, et veterum omnium traditione dicitur *genitum*, seu *Filius*, *Spiratio activa* est notio ad Patrem, et Filium pertinens, quatenus ex mutuo, aeternoque amore Spiritum Sanctum producunt. Spiritus Sancti denique notio est *spiratio passiva*, seu, ut communiter adpellari solet, *processio* (40).

---

(39) Graece ita nuncupantur : αγεννησια *innascibilitas*, πατροτης *paternitas*, υιοτης *filiatio*, προβολη *spiratio activa*, εκπορευσις *processio*, seu *passiva spiratio*. Confer Damascenum *Lib. I. cap. IX. et seq.*

(40) Alteram notionem addit in Filio Scotus in

III. Ex his porro Graeci alias ιδιωματα υποστατικα *proprietates subsistentes*, et personas constituentes dixerunt, alias vero dumtaxat συστατικα personas designantes. Quamobrem eorum exemplo Sanctus Doctor tres ex hisce notionibus *personales* (nimirum υποστατικας) adpellat, nimirum *Paternitatem*, *Filiationem*, et *spirationem passivam*, quod scilicet personas constituant; duas vero reliquas tantummodo vocat personarum notiones, nempe *Ingenitum*, et *Spirationem activam*, eo

---

I. Distinct. I. Q. I. inspirabilitatem nimirum; neque ullum afferri posse ait discrimen, cur *inspirabilitas* non sit notio Filii, quum *innascibilitas* dicatur notio Patris. Scotiano argumento satis abunde fecerunt Theologi, qui frequentes in Sancti Thomae sententiam discesserunt; rationumque summa huc recidit: Notio sive per positivum explicetur, sive per negationem, semper oportet ut personae dignitatem aliquam exprimat, non vero puram negationem; per innascibilitatem autem Patris dignitas explicatur; Noscitur enim per eam Pater, ut primum principium, ac fons non minus totius entitatis, quam ipsius Divinitatis: quod sane non exprimit neque *inspirabilitas* in Filio, neque *ingenerabilitas* in Spiritu Sancto, quae purae negationes sunt, nec ullam explicant dignitatem, ut aperte ex iis constabit, quae singillatim de Personis opportuniori loco disputabimus.

CAP. VI.

DIVINA VNITAS NON SPECIE, SED NUMERO UNA, SINGULARIS, ET INDIVIDUA EVINCITUR.

I. Trinitatem in unitate venerandam esse Scripturarum testimonio, et Patrum argumentis abunde evicimus. Praesenti vero unitatem in Trinitate confitendam, iisdem rationum momentis probare adgredimur. Atque illud in primis sedulo demonstrandum, Divinam unitatem non specie, sed numero unam esse, singularem, et individuam. Nam vel hac prima fronte Tritheitis resistamus oportet, qui Personas tres unum esse specie, non numero Deum blaterabant, sive cum tribus distinctis divinis personis tres etiam divinas essentias distinguebant, quae tamen sibi perfecte similes essent, et aequales, ac unius speciei; non secus atque homines tres unum essentia dicuntur, quia in una eademque humana natura conveniant (41).

---

(41) Duplex a Philosophis distinguitur unitas, et alteram *Specificam* adpellant, *numericam* alte-

II. At vero unam, singularem, et numericam esse in divinis Personis essentiam, vel

---

ram. Prima est, qua plura individua sub eodem genere continentur, quo sane modo natura humana *specifice* dicitur una, sub qua infiniti homines comprehenduntur, qui tamen quibusdam peculiaribus proprietatibus numero inter se distinguuntur. Vnitas autem *numerica*, quae proprie *singularitas* vocatur, ea est, quae pluralitatem omnem excludit, et qua res quaepiam individua, et unum numero sit, quo sensu unica est in tribus Divinis Personis essentia. Hanc porro simplicissimam Divinae essentiae unitatem, sive singularitatem non tantum Politheitae sustulerunt; qui plures Deos specie, et natura diversos colebant, sed Tritheitae praeterea, qui Sabellianis resistentes, singulas singulis personis essentias tribuerunt, numero quidem diversas, sed tamen sub una specie convenientes; quemadmodum tres homines inter se numero divisi in una eademque humana natura continentur. Tantum errorem Ioannes Philoponus, celeberrimus Aristotelis interpres; in Theologiam invexit, quem ideo Photius non tam φιλοπονον *laboris amicum*, quam Ματαιοπονον *frustra laborantem* adpellat *Cod. LV.* tum quoque impium, et blasphemum. Cur autem ab eodem *imbecillis disputator* dicatur non intelligo, quippe memini in eius ingenio commendando multum esse Nicephorum *Lib. XV. III. cap. 47. Hist. Eccles.* Sed dum haec scribo, incidi forte in Clarissimi

naturam, non aliunde uberius adstruitur, quam ex luculentissimis illis Scripturae lo-

---

Iosephi Simonii Assemani bibliothecam Orientalem, in qua *tom. II.* Bar-hebraeus non Philoponum Tritheitarum ducem et antesignanum adsignat, sed Ioannem Ascanasgam, vel Ascusnaghem, cuius caussam Philoponus tuendam suscepit. Quin addit, quatriduo de hac re acriter coram Patriarcha Chalcedonensi disputatum, ac demum Tritheitarum haeresim damnatam.

Eumdem porro errorem iam prope extinctum Roscelinus suscitavit saeculo XI. quem exagitavit Sanctus Anselmus in *Lib. de fide Trinitatis contra blasphemias Roscelini.* Verum ex eo tempore nihil amplius de hac haeresi auditum ad annum usque MDCXCVI. quo Petrus Fayditius Congregationis Oratorii in Gallia alumnus, ex qua posthac expulsus, opus edidit *Alteration du Dogme theologique par la philosophie d' Aristote*; in quo dum scholasticos, eorumque Principem Sanctum Thomam impugnat, in absurdissimum Tritheitarum errorem lapsus est. Confer P. Car. Lud. Hugonis Episcopi Ptolemaidis librum: *Refutation du Systeme de M. L'Abbè Faydit sur la Trinitè an.* 1699. eiusdemque *Reponse a l' apologie de M. L' Abbè Faydit sur le mystere de la Trinitè an.* 1702 Fayditii vestigia calcavit denique Anonymus quidam an. MDCCLX. in simulatae editionis opere: *Dogma scholasticorum de unitate in Trinitate collatum cum Patrum eadem de re doctrina.* Verum

cis, in quibus Christus Dominus ad suam evincendam Divinitatem se unum esse cum Patre praedicavit. EGO ET PATER UNUM SUMUS, inquit *Io. X.* 30., nimirum non specie unum, sed unum numero; nam subdit *Io: XVI.* 15. OMNIA QUAE HABET PATER MEA SUNT, quod utique verum non esset si Pater non suam propriam essentiam Filio communicaret: Ipse dixit *Io. V.* 38. PATER IN ME EST, ET EGO IN PATRE. Et *Io: XVI.* 9. QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM... NON CREDITIS, QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? sed exclusa, et sublata numerica essentiae unitate, quomodo Divinarum Personarum περιχώρησιν sive *immeationem*, et mutuam *coexistentiam* Patris in Filio, et Filii in Patre, utriusque in Spiritu Sancto, et Spiritus Sancti in utroque intelliges?

III. Porro numericam hanc, et individuam Divinae essentiae unitatem disertissime Patres profitentur: *Filius Dei Deus est* (inquit Hilarius *Lib. VII. de Trinit.*) *hoc enim*

---

multis argumentis eius sententia in Wiceburgensi Vniversitate oppugnata; auctiorem opusculi editionem curavit, adposito proprio nomine, nimirum Placidi Sturmeri. *Venet.* 1773. editionis loco pariter simulato.

significatur ex nomine. Non duos Deos connumerat nomen unum, quia unius atque indifferentis naturae unum Deus nomen est, Cum enim et Pater Deus est, et proprium naturae nomen in utroque sit; uterque unum sunt. Vides hîc unam et indifferentem Patris et Filii naturam ab Hilario praedicari. Mox subdit: » Apostolica igitur fides sive Patrem praedicabit, praedicabit Deum unum, quia et eadem, atque indissimilis Dei natura sit in utroque: quod dum et Pater Deus, et Filius Deus est, et unum sit naturae nomen utrisque, unus utrumque significat. Et in *Ps. CXXII. Deus enim uterque unus est, non ut unus divisus in duos sit.*

IV. Luculentiora tamen, et fortasse etiam altiora sunt, quae Sanctus Pontifex Ambrosius inquit *Lib. in Symb. Apost. cap. V.* » Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt; et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab eo non sint separata: et ipsum ipsa quod ipse, et ipsum ipse quod ipsa; et non ipsum ipsa qui ipse, et non ipsa ipse quae ipsa: Ista duo Deus est; et ipse Deus tria est, et unumquodque horum trium Deus est, et omnia tria illa non Dii, sed Deus est ». Et in *Exhortat. ad Cler. super Ecclesiaste*

cap. IV. Tria enim quae non sint composita non rumpuntur. Trinitas itaque incompositae naturae rumpi non potest, quia Deus unum, et simplex, et incompositum est. Vbi naturam Deitatis incompositam esse quum dicit, unam numero ac singularem necessario demonstrat; nam si plures essent, numerum utique, et compositionem facerent. Eamdem porro naturam et individuam adpellat, ut omnino Tritheitarum iuguletur temeritas. (In *Cap. III. Epist. ad Gall.*) « Sive Pater, sive Filius Deus unus. Deus enim naturae nomen est, et potestatis, quam in Patre et Filio individuam manere, ipsa nominum ratio monet ».

V. Magni praeterea interest et Augustinum audire in *Sermone LXVIII.* » Quaeris quid sit Pater? respondetur Deus. Quaeris quid sit Filius? respondetur Deus. De solo Patre interrogatus, Deum responde. Non sicut in hominibus: quaeris quid sit pater Abraham? respondetur homo; substantia eius respondetur. Quaeris quid sit Filius eius Isaac? respondetur homo: eiusdem substantiae Abraham, et Isaac. Quaeris quid sit Abraham, et Isaac? non rspondetur homo, sed homines. Non sic in Divinis: tanta enim ibi est substantiae societas, ut aequalitatem admittat, pluralitatem non admittat ». Quid

sane disertius, quid luculentius his adferri potest? Vnam et singularem Augustinus adfirmat esse Divinitatem, non quo modo plura sub eadem specie hominis individua unum esse dicuntur: sed ut individua quaelibet essentia numero est una.

VI. Sed finis nullus erit, si clarissimorum quorumque Patrum auctoritates huc vellem transferre. Hanc enim ipsam doctrinam strenuo vindicarunt Lucifer Calaritanus, Marius Victorinus, Hieronymus, Philastrius Brixiensis, Petrus Chrysologus, Vincentius Lirinensis, Sanctus Leo Pontifex, Fulgentius, Bernardus, Thomas, ne reliquos numerem. Nihil porro dicam de Patribus Graecis, nisi quod me continere prorsus nequeo, quin unius et alterius hic interponam iudicium. Piaculum enim fere duco praeclara illa Graecae Ecclesiae lumina praeterire, Athanasium nempe, Nazianzenum, Basilium, et Dionysium, ex quorum schola numquam non doctiores discedimus.

VII. Et Athanasius sane, rem adposita similitudine declarat in *Exposit. fidei*: » Vt enim fluvius ex fonte ortum habens, ab eo non dividitur: Nam una amborum est aqua: quamvis formae duae sint, duoque nomina: Sic neque Pater Filius est; neque Filius Pa-

ter. Siquidem Pater, Filii Pater est; et Filius, Patris Filius. Atque ut fons non est fluvius; neque fluvius, fons; sed ambo una, eademque sunt aqua, quae ex fonte manat in fluvium. Ita Divinitas quae ex Patre transfunditur in Filium, perenniter, et sine divisione continuatur ». Hem quam belle unam et individuam substantiam Athanasius praedicat, non cuiusmodi est in tribus hominibus, sed quemadmodum una fontis aqua est, et fluvii, quae continua quum sit, neque interrupta, non specie tantum, sed numero etiam aqua una censetur. Atque hoc loco subit in mentem alter Athanasii locus *Orat. II. contr. Arianos* : » Sicut ab igne lux oritur, ita Verbum a Deo est, sapientia ex sapiente, et ex Patre Filius, hac enim ratione unitas integra, et individua manet ».

VIII. Non minus diserte Nazianzenus rem explicat *Orat. XXXVI*. Quum enim dixisset: *Nobis unus est Deus, quoniam una est Divinitas*, et mox: *individua individuis, ut uno verbo dicam, est divinitas; ac velut in tribus solibus sibi cohaerentibus una lucis est commixtio, et temperatio*; obiicit tamen sibi e vestigio: *Quid autem dixerint forte? nonne et apud nos universum genus una est humanitas? et tamen homines sunt plures, non*

unus. Cui sic praeclare occurit, in quo caussae iugulum stat: *Verum illic communitas unitatem habet, cogitatione sola considerabilem: singularia autem et tempore, et affectionibus; atque adeo potentia, et facultate, plurimum inter se divisa sunt.* Igitur non perinde una est Divinitas in tribus personis, ut in pluribus individuis natura communis, sed reipsá una, et singularis.

IX. Basilius quoque unam, individuamque in tribus inesse naturam evincit in *Lib. de Spiritu Sanct. cap. XVIII.* ubi ita Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum singillatim Deum dici adfirmat, ut in colligendo numero, nequaquam Deos tres nominemus: *Non enim componendo numeramus. ut ab uno ad multitudinem summa succrescat, dicamusque unum, duo, tria: vel primum, secundum, et tertium.* Hinc Basilius idem nos admonet, Deo μοναδα· et ενχδα convenire, sive *singularitatem* et *unitatem*, quam porro αυτοτητα φυσεωσ: *identitatem naturae* adpellat.

X. Monadem praeterea, et Henadem divinae substantiae Dionysius Alexandrinus tribuit *propter simplicitatem, et unitatem excellentis impartilitatis. De Div. Nom. cap. I.* Quod autem Monas et Henas non unum specie, sed quod singulare est, et individuum significet,

adprime docet Proclus Constantinopolitanus : *ut enim monas in duas monadas secari nequit ; quae enim in haec dividitur, monas non erit : sic quod unum est exquisito genere unionis, numquam in duo dividitur.*

XI. Quod si vero Divinitas una esset specie, non autem individua, illud sequeretur, quod non minus personis unitas, quam naturae conveniret ; et non minus naturae Trinitas, quam personis. Quare Philoponus huius haeresis auctor, Aristotelicis abstractionibus deceptus, *ut tres hypostases, ita etiam tres naturas in Sacrosancta Trinitate profitebatur*, teste Leontio Byzantio *Lib. de Sectis act. V.*

XII. Sed et his quae disputavimus ultimum pondus accedit ex Ecclesiae definitionibus, quibus numerica divinarum personarum unitas adprime constabilitur. Et primo in Concilio V. *cap. I. Si quis non confitetur Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unam esse naturam, sive essentiam, unam virtutem, et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, anathema sit.* Cuiusmodi et alia decreta adferre possem, nisi satis esset sollemne illud Concilii IV. Lateranensis an. MCXV. adversus Abbatem Ioachimum : *Firmiter credimus, quod unus solus est verus Deus, Pa-*

ter, *et Filius*, *et Spiritus Sanctus*: *tres quidem personae*, *sed una essentia*, *seu natura simplex omnino* (42).

XIII. Ibidem *cap. II.* clarius adhuc Innocentius Pontifex loquitur: » Adprobante Sacro Concilio credimus, et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis; quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres quidem personae, ac singulatim quaelibet earumdem. Et ideo in Deo Tri-

(42) Ioachimus Abbas, et institutor Monasterii Florensis apud Calabros in Dioecesi Consentina, non aliam admisit in Trinitate unitatem, seu potius *unionem*, quam *similitudinariam*, *moralem*, et *collectivam*, qualis est in una Civitate, in uno populo, in una Ecclesia. Quare ad eam confirmandam iis Scripturae verbis abutebatur *Act. IV. Multitudinis credentium erat cor unum*, *et anima una*; et ad *Cor. VI. Qui plantat*, *et qui rigat unum sunt*. Videsis Cl. Natal. Alexandrum *Saec. XIII. cap. III.* Verum Sanctus Thomas eum ab haeresi excusat quod nec pertinax fuit, et scripta Apostolicae Sedis iudicio subiecit. Quod et ex eo aperte patet, quod Innocentius Pontifex nihil vel Ioachimi, vel eius monasterii famae, et honoribus derogatum voluerit. Consersis Bollandistas *Die XXIX. Maii Tom. VI.* qui *Beati* titulum Ioachimo tribuunt.

nitas est solummodo, non quaternitas: quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quam aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; Sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit ». Paullo vero ante eadem Synodus decreverat: *Hanc Sanctam Trinitatem secundum communem essentiam individuam, et secundum personales proprietates esse discretam.* Est igitur individua, hoc est singularis res, essentia Divina; non modo sola, et quatenus a personarum proprietatibus cogitando secernitur, sed etiam cum iisdem sumpta coniunctim. Est enim Deus unus, hoc est singularis, et individuus; non quomodo multi homines unus homo dicuntur: sed ut quilibet illorum unus est. Ita tamen ut hic ipse unus, ac singularis Deus, tres personae sint reipsa distinctae; quod omnem intelligentiam superat; nec quod simile ei sit, in ullo rerum genere potest umquam investigari.

CAP. VII.

DIVINAE VNITATIS FOECUNDITAS, OPULENTIA, ET COPIOSA MAGNITUDO EX SANCTIS PATRIBUS VINDICATUR.

I. Conquassata superiori capite, et eversa gentilium de pluribus Diis superstitione, Tritheitarumque simul fundamento conlapso, non minori nunc impetu Judaicum de solitario Deo dogma impetamus. Quamobrem Divinam unitatem in simplicitate, et singularitate sua foecundissimam, opulentissimam, se se incorruptibiliter explicantem, ineffabiliter dilatantem, sic ut ipsa unitas ipsissima Trinitas sit, Sanctorum Patrum ope, atque ductu in praesenti contemplemur, quorum sententiis universum hoc etiam nobis caput intexetur.

II. Sane exploratum id est, in eo haereticorum antesignanos Arium, Macedonium, Sabelliumque peccasse, quod unitati magnitudinem, magnitudini unitatem copulare detrectarint (43). Ad Patrem solum igitur Arius

(43) Testatur id adprime Sanctus Leo Pontifex

restrinxit unitatem Deitatis, quae pro magnitudine sua ad totam dilatanda erat Trinitatem; Macedonius ad Filium dumtaxat, non* ad Spiritum Sanctum unitatem paternae Divinitatis extendit, atque ita eius amplitudinem coarctavit. Sabellius denique unitatem tenuit, sed arctissimis finibus eius magnitudinem circumscribens, Trinitatem negavit.

III. Deus utique unus est, sed quum unus nominatur, non solitarius Deus intelligitur, sed Deus qualis est, unus qualiter unus est, non in singularitate, sed in Trinitate personarum suarum. Ea enim divinae unitatis dos est, et praerogativa, ut non veluti in creatis rebus ieiuna sit, sed quum amplissima, vastissima, effusissima sit, tres complectatur Personas. Vnus Deus, sed si Deus infinitus, immensus; ipsa unitas Dei infinita est, et

---

Serm. IV. de Nativ. » Arius sempiternam atque incommutabilem Deitatem, quam in Trinitatis unitate non vidit, in Patris essentia non negavit. Macedonius a lumine veritatis alienus divinitatem Sancti Spiritus non recepit, sed in Patre et Filio unam potentiam, et eamdem confessus est esse naturam. Sabellius unitatem substantiae in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto inseparabilem sentit, sed eo erravit, quod singularitati dedit, quod aequalitati tribuere debuit ».

immensa; si unitas in Deo infinita est, et immensa, quomodo in infinitate, et immensitate Trinitatem negabis, quomodo pugnabit, ut qui unus est natura, trinus sit in Personis?

IV. Vnum igitur in Deo non est numeri initium, sed unum totum, unum universitate (44). Quod disertissime explicavit Paschasius S. R. E. Diaconus Cardinalis *Lib. I. de Sp. Sanct. cap. I.* adversus Macedonium: » Da in Deo nomen speciale vel proprium, id est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus . . . Rursum da nomen generale, atque commune, maiestas, immensitas, plenitudo, unus, solus, Deus. Sed cum audis unus, non hic numerus inchoatur, sed perfectio infinita colligitur. Quid est unus, nisi nomen incommunicabile, quod nec posteriorem recipit, nec priorem? Quid est unus, nisi simplex, incomposita, et indivisa substantia? Quid est unus, nisi

(44) Ita Sol unus dicitur, non quasi pluribus aliis praeeat, et antistet solibus; sed quod unus infinitam totamque praeceperit luminis plenitudinem. Sic et Mundus dicitur unus, non numero, sed universitate; quidquid enim in alios dispensare volueris mundos, id totum ab hoc ipso mundo iam praesumptum, et occupatum est. Ea est enim vis, et plenitudo unitatis, ut et unum, et omnia sit.

indicatum volui; contra si in mentione Filii Patrem omisissem, tamen ille sub nomine Filii intelligi debuit. Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita ut pariter adiungerem, undenam ille, et per quem venerit; sed isti ignorant Patrem a Filio alienari non posse, et sub Patris vocabulo primarium coniunctionis auctorem contineri, et Filium a Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, et in Patris, Filiique manibus esse Spiritum Sanctum: sed ita ut neque a mittente, neque a ferente segregetur. Qui fieri igitur posset, ut cum istis nominibus utar, suspectus habear, quasi ista separari, dividique existimaverim »? Haec quum diserte explicasset, addit hoc esse quod unitas indivisibilis in Trinitatem dilatetur, Trinitas in unitate consummetur. *Hoc scilicet pacto unitatem, quae indivisibilis est in Trinitatem dilatamus: et Trinitatem, quae diminui non potest, in unitatem consummamus.*

VI. Hoc ut apertius explanaret Nazianzenus Deum summum, et inaccessibile lumen esse ait, naturam omnem ratione praeditam illuminans, et hoc esse in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus, concluditque porro: *Lumen hoc dico quod in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto consideratur, quorum*

opulentia naturae identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio. Vnus nimirum quum sit Sol, in radiorum lumen se se explicat et dilatat ipse, et per hoc radiorum lumen rursus se dilatat in illam infinitam lucem, quae ea pervadit, ad quae radii non pertingunt. Haec sane est sensibilis Solis unitatis dilatatio, et magnitudo, velut imago quaedam Solis intelligibilis, qui multo praestantius unitatem suam simplicissimam dilatat, et exporrigit in plures hypostases, velut in plura lumina, ex quibus unus tamen Sol, unum lumen exurgit, unum, et immensum.

VII. Verum a Gregorio Nazianzeno non recedamus, in cuius schola multum proficiemus, et unam hanc, quam indicavimus, Orationem expendemus, quam si solam scripsisset, iure merito summi Theologi nomen, quo ob tot egregia scripta salutatus est, meruisset. Trinitatis unitatem *trium infinitorum infinitam coniunctionem* adpellat Gregorius. Tria igitur infinita sunt, sed quum infinitum omnia complectatur, nihilque extra se relinquat, trium infinitorum infinitas infinitate sua in unitatem coalescit naturae, et unum cogit esse quod infinitum est; si enim plura essent, singula utique finita forent. Subdit autem e vestigio: *Deus unusquisque, si separatim consideretur, ut Pater sic Filius; ut*

Filius sic Spiritus Sanctus, servata sua cuique proprietate. Deus rursus tria haec si simul cogitentur. Deus ergo Pater, etsi seorsim unus consideretur, duas alias hypostases in se continet, quia unus est ea infinita unitate, quae ipsa infinitas est, universitas est, et unum omnia. Sic dices de Filio, qui unus est unitate infinita, et ceteras duas in se continet Personas; sic de Spiritu Sancto. *Illud propter eamdem essentiam.* Tria igitur unum, unaquaeque enim Persona Deus est, et totus Deus est, quia non alia est unius substantia, quam trium Personarum, quae una substantia est. *Hoc propter unum principatum.* Nimirum tres coniunctim personae unus Deus est, quod ad Patrem, ut ad principium, et fontem totius Deitatis, Filius et Spiritus Sanctus referatur.

VIII. Orationem prosequitur Gregorius: *Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo.* Cuique namque trium Personarum insunt reliquae duae, ut ne cogitari fere possint, quin omnes statim animo occursent. Ecquis enim Patrem cogitaverit sine Filio, aut Filium sine Patre? Ecquis Spiritum sine spirante, vel spirantem sine Spiritu? In uno ergo quolibet tres adsunt, insuntque. *Vix tria distinguere incipio, cum ad unum sta-*

tim sublimis feror; Trinitas namque, ipsa unitas est, sive unitatis magnitudo. *Si unum quodpiam trium menti meae se obiiciat, id totum mihi esse videtur, atque implentur oculi, maiorque etiam pars oculorum aciem fugit. Huius magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, plus tribuam. Quod si rursus tria haec animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere, aut dimetiri nequeam.* Unum igitur totum est, et unius lumine totus impletur mentis oculus; et unum quum considero, ne cogitare quidem possum, superesse aliquid, quod aliis Personis singillatim adscribatur. Vnum tria sunt, sed tria dum considero, statim unitas simplicissima totam implet mentem, siquidem Trinitas ipsamet unitas est, sed opulentissima; ipsamet simplicitas est, sed copiosissima.

IX. Nazianzeno opulentissimam simplicitatem, et simplicissimam opulentiam praedicanti Synesius Episcopus Cyrenes ad harmoniam suaviter occinit in *Hymno III.* Vel Trinitati enim, vel Patri ait: » Fons fontium, principium principiorum, radicum radix; unitas es unitatum, numerorum numerus, intelligentia, et intelligens, unum et omnia,

unum autem omnium, et unum ante omnia, semen omnium, radix, et summus ramus. . . . Tu es quod paris, tu es quod paritur: tu qui illustras, tu qui illustraris; tu qui appares, tu qui occultaris propriis fulgoribus. Vnum et omnia, unum in seipso, et per omnia . . . . Tu enim effusus es ineffabili modo genitor, ut Filium pareres, inclitam sapientiam, rerum omnium opificem. Profusus autem manes individuis sectionibus obstetricatus. Cano te unitas, cano te Trinitas. Vnitas es, Trinitas quum sis; Trinitas es, unitas quum sis ». Sane, ut quod res est ingenue dicam, quid praeclarius, quid profundius his Synesii verbis in re summa, et ineffabili adferri poterat, non video.

X. Sed perorationis loco verba sint Bernardi *Lib. III. de Consider. cap. VIII. Dicamus itaque tres, sed non ad praeiudicium unitatis. Dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassae voces. Quaerit quis quomodo illud [illegible] thol cum esse dicimus, possit esse, sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum; Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scru-*

tandum. Quomodo pluralitas in unitate, et hac unitate? aut ipsa unitas in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est; nosse vita, et vita aeterna est.

Cap. VIII.

TRES IN DEO PERSONAE UNUS EST DEUS PROPTER UNITATEM SUBSTANTIAE, ET UNITATEM PRINCIPII.

I. Trium Personarum ineffabilem unitatem, qualis illa sit, quantumve pateat, quibus datum est verbis expressimus, tametsi verborum significantiam, ut inquit Hilarius, rei ipsius natura consumit. Superest autem, ut quibus illam e fontibus duxerint Patres aperiamus. Atque primo dicendum de unitate substantiae, quae quum opulentissima sit, in tres personas diffunditur, et dilatatur; et de unitate principii, qua fit, ut in unum, et summe unum Deum tres illae personae constringantur.

II. At porro naturae unitatem multis prosequuti sumus, ex qua, veluti ex arce Sanctissimi Mysterii, Graeci, Latinique Patres adversus Arianos, Anomaeosque detonuerunt.

Hinc illud vibrans, contractumque Athanasii argumentum *Orat. IV. Divinitas Filii Divinitas est Patris*, et Nazianzenus *Orat. XXXVII. Nobis unus est Deus, quoniam una est Divinitas.* Ex quibus concludit Hilarius *Lib. VII. de Trinitate* » Apostolica fides confitetur Deum unum, quia et eadem, et indissimilis Dei natura est.

III. Gradum igitur faciamus ad unitatem Principii ex quo ceu fonte Divinitas existit, Divinitatisque individua adseritur unitas. Quo argumentationis genere plurimum utitur Athanasius in *Orat. IV. adversus Arianos.* In Marcionistas enim, et Manichaeos irruens, qui tria Principia, proindeque tres Deos invehere conabantur, strenuo evincit ex tribus Divinis Personis unam coalescere Divinitatem, unum Deum, tum quod trium una est natura, eaque simplex, et divisionis, partitionisque cuiuscumque impatientissima; unde fit ut in Filio Pater, in Patre Filius, in utroque Spiritus Sanctus et videatur, et sit. Tum praeterea quod unum est principium Pater, et fons, ex quo Filius, et Spiritus Sanctus emanant, et ita emanant, ut in ipso permaneant, nec aliam habeant, quam ipsam sui principii substantiam, et naturam indivisibilem. Quod et exemplo solis patefacit, ex

cuius substantia primo splendor emittitur, atque ab ipso sole, et solis splendore, sive radio effunditur lux, quae quamvis tria sunt, nimirum sol, splendor, lux, unum tamen sunt, quia una luminis natura, et unum totius luminis principium est sol.

IV. Quod ipsum et Sabellio opponit Athanasius *Orat. V.*, cuius verba ipsissima nequeo non adferre: » Vnum est principium Deitatis, non duo: unde proprie monarchia unius dominatus haberi debet. Ex ipso deinde principio, per naturam existit Filius, qui est Verbum, non quasi alterum principium seorsum subsistens, neque aliunde genitus, ne ratione secundi duo principia, pluriumque principatus oriantur: sed unius principii suus propriusque Filius, propria sapientia, proprium Verbum, ex ipso principio ortum habens. Nam secundum Ioannem in hoc principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, Deus enim principium est, et quia ex principio Verbum est, ideo quoque Verbum erat Deus ».

V. Quum autem Macedoniani Divinitatem Filii, et aequalitatem, unitatemque cum Patre faterentur, Spiritu Sancto in creaturarum classem ablegato, insurgit iterum Athanasius: » Si Filius est unus cum Patre Deus ob suam

cum eo unitatem, quomodo Spiritus Sanctus non unus idemque est Deus, quum eamdem habeat unitatem cum Filio, quam Filius habet cum Patre? Si enim Filius est unum cum Patre, quia sic a suo principio fluit, ut ab eo non effluat; sed ab eo in eo semper fluat, ut splendor a sole, ut sapientia a mente; ita Spiritus Sanctus eamdem habet cum Filio unitatem, ut ab eo in eo manet, maneatque, quemadmodum lux a splendore, charitas a sapientia semper manat, numquam divellitur ». Una ergo est trium Deitas, quia unum est principium, unus Pater, ex quo Filius fluit, et id accipit, ut ab eo fluat Spiritus Sanctus; quo fit, ut quamquam et Filii Pater, et Spiritus Sancti Filius principium sit, unum tamen sit principium, non duo.

VI. Sed quae fere exciderant Athanasii verba hic perpendere praestat; *ου δυαρχια, ουκ πολυαρχια, αλλα μια αρχη, κυριακος μοναρχια, non duo Principia, non multa Principia, sed unum principium, dominicum solum principium.* Quibus verbis Deitatis unitatem ex Patris monarchia adstruit Athanasius. Atque haec illa Divina monarchia est, quam Sabellianis opponit Dionysius Romanus apud Athanasium *de Decret. Syn. Nicaen.* cuiusque ostentatione Sabellianos, Arianosque contun-

debat Nazianzenus *Orat. XXXIII.*, quem audire praestat : » Vt igitur ad rem accedamus, tres antiquissimae de Deo sententiae sunt, anarchia, polyarchia, et monarchia. Ac duae quidem priores ab ethnicis lusae sunt, et sane ludantur. Nam et quod nullius imperio gubernatur, confusum est ac perturbatum : et quod a pluribus Dominis, et Principibus administratur, factionibus, dissidiisque obnoxium est, ac proinde nec a quodam gubernatur, nec ordine ullo, et disciplina continetur. At nos unius Dei principium colimus. Vnius autem principatum dico, non quem persona una circumscribit; fieri enim potest, ut quod unum est, si a seipso dissideat, secumque discordet, multa fiat; sed quem aequalis naturae dignitas constituit, et voluntatis consensio, motusque identitas, atque ad unam et eamdem rem, eorum, quae ex ipso sunt, coniuncta propensio, id quod in rebus procreatis fieri nequit, ita ut etiam si numero differant; potentia tamen minine inter se dissideant. Quocirca unitas principio in binarium mota, in Trinitate consistit. Atque hoc nobis est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus ».

VII. Atque haec illa ipsa Monarchia est, quam *μιαν βασιλειαν και μιαν αρχην unum Re-*

gnum , *unumque Imperium* adpellat Epiphanius *haeres. LXXIII.* quam Basilius praedicat *Lib. de Spir. Sanct. cap. XVIII.*, quam Eusebius , Caesarius , aliique Graeci Patres in Sacris Litteris commendari censent, et cui respexisse Mosem Caesarius idem scribit *Dial. I.* quum dixit : DOMINVS DEUS TUUS , DOMINUS UNUS EST , ut nempe ad μοναρχιαν, et θεογνωσιαν nos eveheret i. e. ad *unius principii professionem* , *Deique notitiam.* Qua voce , non ut alias solet , unicus et singularis principatus , vel dominatus exprimitur , sed principii unitas , et singularitas. Atque huc profecto facit θεαρχιας *divini principii* vox , quam Dionysius usurpat *De Div. Nomin. cap.* I.

VIII. Quae porro a Graecis luculenter adeo disputata sunt , Latini invictissime confirmant; in primis vero Hilarius in *Ps.* CXXXIV. ubi idem esse innascibile , atque primum principium demonstrat , utque duo nequeunt esse prima principia , ita nec duos esse innascibiles , adeoque nec duos Deos. Tunc enim demum duo essent Dii , si duo essent , vel innascibiles , vel prima principia. Nam qui innascibilis est , unigenitum generat , suam illi naturam , non innascibilitatem infundit. Ex quo fit , ut unus cum eo Deus sit , pro-

pter unam naturam divinam, in Patre ingenitam, in Filio genitam: hoc est Filio a Patre communicatam.

IX. Ambrosius vero *Lib. IV. de fide cap. V.* unam esse Patris, et Filii vitam declarat, quia eadem ut Divinitas, ita et vita in Patre est, atque in Filio, et a Patre est in Filio. » Sicut enim Pater vitam habet in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso. Dedit per unitatem, dedit non ut auferat, sed ut clarificetur in Filio: Dedit ut complaceat: Dedit non ut Pater custodiret. Sed obiiciendum putant, quod dixit: Ego vivo propter Patrem. Vtique si ad Divinitatem referunt, propter Patrem vivit Filius, quod ex Patre Filius est; propter Patrem, quod unius substantiae cum Patre; propter Patrem, quod eructatum est Verbum ex Patris corde, quod ex Patre processit, quod ex paterno generatus est utero, quod fons Pater Filii est, quod radix Pater Filii est ». His luculenter quantum consentit Augustinus, Fulgentius, Marius Victorinus, ceterique Latini Patres, quorum auctoritatem utique interponerem, nisi in re perspicua diutius, quam par esse videtur, versari pigeret.

Cap. IX.

TRES PERSONAE UNUS DEUS PROPTER UNITATEM ενεργιας, SIVE OPERATIONIS, ET PROPTER IMAGINIS NATURAM.

I. Alteram ab unitate actionis, sive ενεργιας sumptam argumentationem in hunc modum adversus Eunomium Basilius urget *Lib. III. de Spir. Sanct.* » Quorum sunt eaedem operationes, eorum et una est substantia: operatio vero Patris, et Filii una est, velut est illud: *Faciamus hominem*: et rursum: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Igitur una est substantia Patris et Filii. Athanasius praeterea in Epistola ad Serapionem inquit: Similis est sibi ipsi, et indivisa natura Trinitatis, unaque eius operatio: Nam Pater per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit, atque Sanctissimae Trinitatis servatur unitas: ita unus Deus in Ecclesia praedicatur, qui est super omnia, et in omnibus ».

II. Eodem porro argumento utitur Cyrillus Alexandrinus *Lib. I. in Ioan.* ubi Christi verba *Io:* V. expendens: » Pater meus usque modo operatur, et ego operor, ait: quoniam

uterque alter in altero est naturaliter, ac necessario, nimirum operante Patre Filius operatur, tamquam virtus eius naturalis, et substantia, et subsistens. Similiter operante Filio, operatur et Pater; tamquam fons artificis Verbi in proprio foetu naturaliter existens, velut ignis in calore ex se ipso prodeunte ». Cui consentit Damascenus in *Lib. De duab. Voluntatib.* » In Patre et Filio, et Spiritu Sancto, quoniam differens est extantia cuiusque, tres sunt hypostases; quoniam vero non privato modo, neque separata electione, ac divisim unaquaeque vult, et operatur, sed singulariter; non tres Dii sunt, sed unus Deus ».

III. Quod sane fixum adeo Catholicorum mentibus constanter fuit, ut Monothelitas, qui duas in Christo voluntates esse docuerunt, eo potissimum argumento Synodus Constantinopolitana VI. confutarit, quod in naturarum discrimine, operationum quoque diversitas esset statuenda; quemadmodum una personarum divinarum natura agnoscenda est, ubi una trium predicatur ενεργια sive operatio, ut praeclare disserit Agatho Papa in Epistola Synodica, quae habetur *Act. IV. eiusdem VI. Synod. Hic status est Evangelicae, atque Apostolicae fidei, regularisque traditio, ut confitentes Sanctam, et inseparabilem Trini-*

nitatem, id est Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum unius esse Deitatis, unius naturae, et substantiae, sive essentiae, unius eam praedicemus et naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis, et gloriae.

IV. Nec porro validissimum id argumentum a Latinis Patribus minoris aestimatum, quin potius in eo confirmando toti esse videntur. Hilarius quidem *Lib. IX. Naturae, cui contradicis, haec unitas est, ut ita per se agat, ne a se agat: et ita non abs se agat, ut per se agat. Intellige agentem Filium, et per eum agentem Patrem. Non abs se agit, quum Pater in eo manere monstratur. Per se agit, cum secundum Filii nativitatem agit ipse quae placita sunt.* Luculentissime vero Ambrosius *Lib. I. de fide cap. II.*: » Operationis unitas non facit pluralem divinitatem, sicut ipse Dominus ostendit, dicens: credite mihi, quia ego in Patre, et Pater in me, alioqui vel propter opera ipsa credite. Et hic advertimus, quod unitatem divinitatis per unitatem operum designaverit ». Atque inter hos, ne Sanctus Pontifex Augustinus desideretur, eius testimonium ex *Tractat. XX. in Ioan.* producimus: » Patris et Filii opera inseparabilia sunt. Quid est quod

dixi? quomodo ipse Pater, et Filius inseparabiles sunt, sic et opera Patris et Filii inseparabilia sunt». Et mox: » adhuc planius dicam, quid sit, opera inseparabilia sunt. Non dicit Catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, et fecit Filius aliquid aliud, Sed quod fecit Pater, hoc et Filius fecit, hoc et Spiritus Sanctus fecit. Per Verbum enim facta sunt omnia ».

V. Neque ullus autem dubitandi locus, quin numericam esse hanc operationis unitatem unanimes agnoverint Patres; quum Christum adpellet Apostolus *I. ad Corinth. I.* Dei virtutem ac sapientiam, et *I. ad Hebr.* per ipsum aptata esse saecula scribat; Ioannes vero, per ipsum omnia facta esse, et sine ipso factum esse nihil. Et de Spiritu Sancto *Iob. cap. XXXIII.* SPIRITUS DEI FECIT ME, ET SPIRACULUM OMNIPOTENTIS VIVIFICAVIT ME. Et *Cap. XXVI.* SPIRITUS EIUS ORNAVIT CAELOS. Et *Ps. XXXII.* VERBO DOMINI CAELI FIRMATI SUNT, ET SPIRITUS ORIS EIUS OMNIS VIRTUS EORUM. Quamobrem Filius dextera, et manus Patris adpellatur ab Athanasio *Orat. V.* Quod confirmat Cyrillus *Lib. X. in Ioan.* ubi ait: » in plerisque Scripturae locis Christus adpellatur manus, et dextera Patris,

quod virtutem significat, et ut uno verbo dicam, manus Dei vocatur omnium effectrix, actio Dei, atque vis . . . ac Spiritus Sanctus ad eamdem vim, potentiamque designandam vocatur digitus Dei. Vnde Basilius *Lib. V. contra Eunomium*: Digitus Dei in his, quae a Mose, et a Deo facta sunt, miraculis, dictus est Spiritus.

VI. Sunt aliquae tamen in Sacris Litteris loquendi formulae, ex quibus diversitatis suspicionem non in actione tantum, verum etiam in natura tum Anomaei, tum Neumatomachi immerito adripuerunt, veluti quum omnia dicantur facta a Patre per Filium in Spiritu Sancto, quae sicut ad personarum distinctionem insinuandam aptissime, ita ad substantiae, potentiaeque identitatem evertendam ineptissime adhibentur. Saepe enim particulae illae in unam, eamdemque personam conferuntur, ut late ostendit Basilius *Lib. de Spiritu Sanct. cap. IV.* Nam ad *Rom. II.* QUONIAM EX IPSO, ET PER IPSUM, ET IN IPSO SUNT OMNIA, quae sive de Filio dicta sunt, ut contendit Basilius, sive de Patre intelligantur, perinde adversariorum cavillationem eludunt, quum in unam conveniant personam. Ita *Ioan. III.* SIC EST OMNIS, QUI NATUS EST EX SPIRITU SANCTO.

*

Ad *Hebraeos II.* QUI PER SPIRITUM SANCTUM OBTULIT IMMACULATUM DEO. Particularum eiusmodi potestatem, cum de personis singulis agere instituemus, explicabimus.

VII. Cavendum tamen sedulo est, ne quum Filium, et Spiritum Sanctum Dei virtutem, et potentiam nuncupemus, proprietas aliqua putetur esse Patris, utraque Filii, et Spiritus Sancti persona; potentiam enim hic non absolute usurpamus (nam haec est ipsa Dei substantia, quae communis est tribus) sed notionaliter tamquam expressam cognitionem, et expressum amorem, quo sensu ait Augustinus *Sermon. LXIII. de diversis Cap. II. Pater Verbi, Pater sapientiae suae, Pater virtutis suae per quam cuncta formavit.*

VIII. Qui vero animum ad eam particularum diversitatem paullo acrius intenderit, facile percipiet, longe clarius eamdem numero actionem significari a tribus personis manantem, quam si nulla loquendi diversitas ea in re intercidisset; non enim esse potest nisi una actio, quae ex Patre per Filium est in Spiritu Sancto. Atque hinc Haereticorum coecitatem amplius detestari licet; qui in iis Scripturae locis, in quibus essentiae unitas, et Personarum distinctio apertissime omnium

significantur, personas confundere, aut essentiam dividere audent. Quid enim expressius significare potuisset distinctas esse Trinitatis personas, quam quum creata omnia dicantur ex Patre per Filium in Spiritu Sancto? anne ita loqui fas esset, si una in Deo persona confunderetur? Contra vero quo clariori argumento exprimi potuisset unitas essentiae, quam quum una actio esse praedicatur.

IX. At nunc accedamus ad alteram caussam unius trium substantiae, ab imagine sumptam, qua Filium Patres evincunt unius esse cum Patre naturae, eo quod sit SPLENDOR GLORIAE, ET FIGURA SUBSTANTIAE EIUS, ut loquitur Apostolus *Ep. I. ad Hebr.* quo uno argumento Arianorum, Sabellianorumque fauces perstringuntur. Hinc praeclare Ambrosius *Lib. I. de fide cap. IV. Immaginem Apostolus dicit, et Arius dicit esse dissimilem; cur imago? si similitudinem non habet?* Et deinde: *Vides ergo, quia cum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius, quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Hanc imaginem non in lineamentorum, et colorum similitudine positam, sed in identitate naturae, probat Damascenus *Lib. I. de Imaginibus*, quia est imago vivens, et naturalis; imo ve-

ro repugnat Deo, ut unius aut alterius perfectionis imago sit Filius, et potius non totius simplicissimae essentiae. Id enim ineffabilem illam Divinitatis simplicitatem everteret, ut contra Eunomium *Lib. I. Thesauri* disputat Cyrillus. Quare Basilius nullam esse veram imaginem, nisi Filium probat *Lib. I. contra Eunomium*, quia nullius ope imaginis substantiam artificis intelligere possumus, quum tamen ex genito naturam genitoris intelligamus.

X. Ne quis autem existimet consistere posse imaginem cum numerica naturae distinctione, et Filium dici posse imaginem Patris, quamvis non eadem numero sit utriusque substantia, duo sunt advertenda, quorum alterum ratio, alterum Apostoli testimonium suadet. Primum enim quum imago eo sit perfectior quo ad prototypi similitudinem magis accedit, sequitur, ut perfectissima omnium imago eam habere debeat ad prototypum similitudinem, qua major ulla non possit esse, cuiusmodi profecto est identitas naturae. Praeterea non potest perfectissima imago, quae naturam et substantiam principii referat, summam Trinitatem, quae maxima omnium perfectio est, evertere, et eidem multiplicitatis imperfectionem inferre; Ita enim naturam perfectissimam non tam exprimeret, quam deformaret.

XI. Apostolus vero significantissime expressit identitatem naturae, quum Filius ab eo dicatur χαρακτηρ της ὑποστάσεως αὐτου; est enim χαρακτηρ expressa imago, cum εικων sit effigies, unde haec imitatione effingitur, illa impressione exprimitur. Unde ait Basilius *Lib. III. contra Eunomium*, eo nomine significari non imitatione figuratam esse hanc imaginem, sed sic tamquam sigillo quodam totam Patris naturam impressam esse Filio, qui totum in se Patrem exhibet ex tota illius gloria resplendens. Et Hilarius *Lib. de Trinit.* signaculorum hanc esse naturam docet, ut tum totum accipiunt quod exprimitur, totum ex se proferant quicquid est impressum. Eadem igitur substantia numero, quae Patris est, impressa est in Filio, ab eoque expressa, quae profecto si alia esset, characteris rationem habere non posset; ad quam pertinet, ut illud idem, quod in altera est tamquam in prototypo, in charactere sit tamquam in exemplo.

XII. Huius imaginis participatione, quae Dei Filius est, homines ad imaginem Dei esse docent Patres, ut praeclare Ambrosius *Lib. I. de fide cap. IV.* *nisi per imaginem Dei ad imaginem Dei esse non potest.* Et Athanasius *Orat. IV.* *Et imago, ait, et gloria Dei vocati sumus, sed non propter nosipsos, sed*

propter imaginem, veramque Dei gloriam habitantem in nobis, quod est Verbum Dei. Et Marius Victorinus *Lib. I. adversus Arium*, *homo*, inquit, *non imago Dei: solus enim Iesus imago Dei, homo autem secundum imaginem, hoc est imago imaginis.*

XIII. Quamquam propria imaginis conditio ad unum Filium spectare videatur, eamdem tamen Graeci Patres Spiritui Sancto passim tribuunt, quem imaginem Dei adpellant, eoque argumento probant illum non esse creaturam, ut Athanasius in *Ep. ad Serapionem*: ubi *imago*, ait, *Filii dicitur, et est Spiritus Sanctus, quos enim cognovit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Hinc rursus sygillum adpellat quod Filium exprimit, ut is, qui Spiritu Sancto signatur, Christi formam habeat. Idem docet Basilius *Lib. IV. contra Eunomium*; Cyrillus *Lib. XXXIII. Thesauri*; et Damascenus *Lib. I. de fide Orthodoxa cap. VIII.* ubi ait: *Imago Patris est Filius et Filii Spiritus, per quem Christus habitans in homine, dat ipsi, ut ad imaginem sit.*

XIV. Sed quum Augustinus ad veram imaginem adfirmet necessariam esse nativitatem, acriter obnititur, ne Spiritus Sanctus dicatur imago Filii, eoque sensu latini Theologi ab eadem adpellatione abhorruere. Sed quo u-

triusque Ecclesiae Patribus concordia, et argumento robur vindicetur. Angelicus *dict. quaest. II. contra Graecos cap. X.* duplicem distinguit notionem imaginis. Prima est, ut aliquid ab alio existat, eiusque similitudinem gerat; Altera est, ut ex ipsa suae originis ratione habeat quod similitudinem gerat eius, a quo existit; at priori quidem ratione Spiritum imaginem Filii appellari posse docet, posteriori vero solum Filium, in quantum est ab altero, ut Verbum.

CAP. X.

TRES PERSONAE UNUS DEUS OB MUTUAM EORUM CIRCUMINSESSIONEM SIVE IMMEATIONEM.

I. De illo nunc dicendum argumento, quod nobis Christi Domini verba *Io: XIV.* suppeditant, quibus roganti Philippo, ut ostenderet Patrem, respondit: QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM MEUM, NON CREDITIS, QUOD EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST, quibus sane nihil expressius dici poterat, ut substantiae unitas demonstraretur. Non enim videns Filium, videret

et simul Patrem, nisi quidquid Filius est, etiam Pater esset, atque una esset amborum natura, ut invicte probat Cyrillus Alexandrinus *Lib. Thesaur. VII.* « Eo ipso, quod ait Christus; hunc in illo, et illum in hoc videri; identitatem Deitatis, et unitatem substantiae monstrat. Cum autem alterum in altero inesse adserit; excludi illud, ne quis unum aliquid esse numero putet. Quibus postremis Cyrilli verbis admonemur, non minus adversus Arianos ad essentiae unitatem evincendam Dominicum testimonium valere, sed ad Personarum quoque distinctionem adversus Sabellianos vindicandam. Nisi enim duo illi, distinctique essent, non unus in altero inesse diceretur; sed ambo unus et idem.

II. Mutuam huiusmodi immeationem, sive inexistentiam Graeci περιχωρησιν, Latini vero de schola Theologi *circuminsessionem* adpellare consueverunt, qua nimirum intima, et perfecta unius personae in altera significatur inhabitatio. Atque hanc Cyrillus, ne ab eius vestigiis, cuius paullo ante meminimus, recedamus, non eius generis esse inquit, atque immeationes aliquorum inter se corporum liquidorum, sive solidorum; nec eius praeterea generis, atque immeationes animarum, et corporum; circuminsessio enim est rerum se

se invicem, et omni modo penetrantium, et usquequaque immeantium; at vero penitissime animae sua corpora ineunt, non sic autem vicissim corpora animas; nec eius demum generis quo Divinitas Verbi humanitatem adsumptam immeat; nam natura quidem Divina humanam usquequaque pervadit, non ita vero humana divinam penetrat: sed longe alterius esse generis, et cui nihil usquam par esse possit, atque secundum (46). Scilicet ut tota Patris potestas, vita, substantia, sapientia, essentia, ipsissima sit essentia, substantia, sapientia, vita, potestas Filii.

III. Longum autem esset omnia, quae abunde suppetunt veterum testimonia, conradere, ex quibus pauca tantum in medium adferam. Athenagoras primo in Legatione pro Christianis docet, *unum esse Patrem et Fi-*

---

(46) Ait alibi Cyrillus *tom. IV. p.* 28. *Patet omnibus, non esse illud intelligendum sicuti corpus in corpore, aut vas in vase, ita Patrem in in Filio contineri.* An haec Sanctus Pater in Metangismonitas intendit? Memini enim apud Augustinum in *Lib. de Haeres.* legisse nonnullos haereticos *Metangismonitas* dictos, quasi transvasantes, seu Μεταγγισμὸν propugnantes, eo quod, sic esse in Patre Filium effutiebant, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter; ita ut Filius intret in Patrem, tamquam vas minus in vas maius.

lium, et esse in Patre Filium, et Patrem in Filio unitate, et virtute Spiritus. Tertullianus item *Lib. adv. Praxeam cap. XXV. Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, qui tres unum sunt, non unus.* Athanasius vero in *Oratione contra Sabellianos: Accipiamus igitur indivisam coexistentiam, invicem sibi coexistentibus sine ullo intervallo: et tres quum revera sint, unam formam intelligamus; quae quidem incipit a Patre, sed resplendet in Filio, apparet rursum, et demonstratur in Spiritu Sancto.* Quibus consonat Basilius *Orat. contr. Sabellian.* ubi non ita cogitandas ait, nobis esse tres Divinas Personas unius naturae, tamquam unius rei inseparabilis partes: sed velut tria perfecta, et incorporalia, quae non in morem corporum se se immeent; non in modum disciplinarum uni menti inhaerentium sibi etiam cohaereant: sed ut tria perfecta, quorum perfectissima plenitudo id flagitat, ut quidquid substantiae, et perfectionis in quolibet eorum est, sit et in aliis; non simile, non aequale, tantum, sed prorsus idem. Si non eadem enim summa unius perfectio esset in aliis, non esset summa, non esset tota in singulis plenitudo perfectionis.

IV. Multo clarius tamen loquuti sunt San-

cti Patres post exortam, profligatamque Arianam impietatem. Hinc Sanctus Hilarius. *Lib. VIII. de Trinit. Pater in Filio est, et Filius in Patre per inseparabilis naturae unitatem . . . Tenens hanc itaque manentis in Patre Filii, et Patris in filio fidem, unum Deum Patrem, et unum Dominum Christum sibi esse Apostolus praedicat.* Et S. Ambrosius *Lib. X. in Lucae cap. XX. Et Pater Dominus, et Filius Dominus, quia et Pater Deus, et Filius Deus, sed unus Deus, quia Pater in Filio, et Filius in Patre.* Fulgentius quoque *Lib. de fide ad Petrum cap. I.* » Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, et Spiritu Sancto est; totus Filius in Patre, et Spiritu Sancto est; totus quoque Spiritus Sanctus in Patre et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est; quia nemo alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

V. Neque ab his dissonant, quae disputat Anselmus in *Lib. de Process. Spiritus Sancti* adversus Graecos. Quemadmodum enim, ait, punctus puncto, linea lineae, superficies superficiei addi potest adeo, ut non existat inde nisi unus punctus, una linea, una superficies; ut lumen lumini, aeternitas aeternitati additur, et tamen unum est lumen,

una aeternitas, non enim plures esse possunt aeternitates, vel plura lumina veritatis; ita et Deo Patri Deus adiungitur Filius, qui ab eo nascitur; et Deus Spiritus Sanctus, qui ab eo procedit, nec inde tamen existit nisi unus Deus, quia et Deus nascens in eo est de quo nascitur, et Deus procedens in eo est, de quo procedit. Nisi quod illud observandum, quod ubi linea lineae, et superficies ubi superficiei additur, maior fit et linea, et superficies, tametsi una persistat. Quod de Deo nefas esset cogitare, quia in Deo nulla quantitas est, nullae partes, sed totus est, quidquid est, ideoque unus est, quidquid est.

CAP. XI.

DE LOQUUTIONUM RATIONE HABENDA IN SS. TRINITATIS DOGMATE EXPLICANDO.

I. Libere loquuntur Philosophi, nec in rebus quibusque ad intelligendum difficillimis aurium offensionem pertimescunt; nobis autem nonnisi sapientes esse, et satis usque cautos fas aequumque est, ubi de sacrosan-

ctis Fidei mysteriis agitur, potissimum vero de Capitali Divinae Trinitatis Dogmate, ne sermonis novitas, et licentia, doctrinae novitatem, et impietatem inducat. Quamobrem nunc operae pretium est tantisper immorari in nonnullis Patrum usu tritis vocibus enucleandis, ut duos illos periculosissimos, qui hinc illinc instant scopuli caveamus, Sabellianam nempe haeresim, et Arianam, qua certe

. . . . *Non saevior ulla*
Pestis, et ira Dei Stygiis se se extulit undis.

II. Primum autem de Trinitatis voce dicendum, quae Graecis idem est ac η τριας. S. Isidorus Hispalensis Trinitatem ita autumat dictam, quasi triunitatem, quo etymo nihil fortasse inverisimilius; nec enim ullus umquam contendet, humanitatem quasi humanam unitatem, vel bonitatem tamquam bonam unitatem dictam fuisse. Id autem nomen Personas tres, non ut Deus unus sunt, sed qua relationibus invicem discretae, sive qua personae sunt, directe, et *formaliter* exprimit. Nam ut Isidorus idem opportunissime docet *Lib. I. de Differ. cap. II. In relatione Personarum Trinitas est: in substantia vero naturae unus Deus est.* Quod ipsum Toletani Concilii II. verbis libet expli-

care: *Haec ergo Sancta Trinitas, quae unus, et verus est Deus, nec recedit a numero. In relatione enim Personarum numerus cernitur, in Divinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt: et in hoc numero carent, quod in se sunt.*

III. Atque heic subit mihi in mentem Lutheri, et Calvini impudentia, eo usque prorupta, ut sanctam illam, Ecclesiae consuetudine, et usu Patrum tritam precationem: *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis,* tamquam futilem, et barbaram reiecerint, ne qua scilicet mysteriorum sanctitas detestandam illorum impietatem, futilasque calumnias effugeret. Quid autem est aliud: *Trinitas est unus Deus*, quam *tres Personae sunt unus Deus*? Nec minus ridendus venit LambertusDanaeus Genevensis minister in *Respons.adGenebrardum*, ubi nugacibus argutiolis impudentis magistri iudicium impudentissimum sustinere conatur; ait enim periculum subesse, tum ne ea loquendi formula Personarum essentia putetur adpellari Trinitas, tum ne praeter communem Deitatem aliquid aliud commune esse existimetur tribusPersonis, quod dicatur Trinitas.

IV. At ego periculum eiusmodi, quod ve-

retur Danaeus, nonnisi apud captiosos homines, Calvinique asseclas timendum censeo. Catholici enim omnes, quibus rata, et sancta haec est loquendi formula *tres sunt unus Deus*, nullum sane verentur periculum in altera, quae idem valet: *Trinitas est unus Deus*. Neque illum sane iuvat, quod secundo loco metuit; tunc enim Trinitas communis esset tribus personis, quum de singulis illa adfirmetur, veluti si quispiam diceret: Trinitas est Pater, Trinitas est Filius, Trinitas est Spiritus Sanctus, quod quam falsum sit, et ridiculum, nemo non videt. Nec demum est, cur barbariem, et nescio quam obscuritatem caussetur Danaeus. Halucinatur quippe in eo, quod abstractum pro concretis usurpetur, ac si dicatur (ut eiusdem verbis utar) *humanitas sedet, pro homo sedet*; *albedo currit pro albus homo currit*. Namque is nominis forma, et abstracti specie falsus est, quum Trinitatis significatio concreta sit. Est enim prorsus η τριας, collectivum scilicet nomen trium Personarum, non etiam essentiarum, ut Ioachimus Abbas temere putavit.

V. Trina vero quum praedicetur Deitas (47),

---

(47) Non praeteream hic controversiam illam *de Trina Deitate* saeculo IX. exortam, quam cer-

et Trinus Deus, *triplicem* tamen non dicimus, neque *trigeminum*. Licentiam autem

---

te veram λογομαχιαν fuisse, nemo sanus dubitat. Nimirum Hincmarus Remensis Episcopus versiculum illum in hymno plurimorum Martyrum:

Te, trina Deitas, unaque poscimus

veluti manifestam haeresim cani prohibuit, siquidem Deitas naturam sive essentiam divinam significat, quae una, et simplicissima est. Ratrammus contra, Monachus Corbeiensis, Librum scripsit ad Hildegarium Meldensem Episcopum, in quo ex Sanctis Patribus, Hilario potissimum, et Augustino, trinam, et unam Deitatem catholice dici posse strenuo evincebat. Hincmarus tamen opinionis suae tenax, ne fasces adversario suo Ratrammo submittere videretur, Librum edidit *De non Trina Deitate*, quem mox impugnavit Gotteschalchus, qui in carcere Monasterii Altivillarensis custodiebatur: Quid vero? omnis controversia in verbis posita erat, non autem in re; Deitas enim *naturaliter* una est, *personaliter* trina; unde et *una Deitas*, et *trina Deitas* recte et absque ullo periculo fateri potest. Nec est cur aliquis obiiciat, Hincmari emendationem in Hymno Martyrum, nempe

Te, summa Deitas, unaque poscimus

ab universali Ecclesia fuisse huc usque retentam. Nam utramque locutionem iure retinet Ecclesia, et *Summa Deitas*, et *Trina Deitas*, illam in hymno Martyrum, hanc vero in hymno Corporis Christi,

huiusmodi in poësi sibi concessit Sanctus Gregorius Nazianzenus, a quo in *Carm. Arcan.* τριαση θεοτης *triplex Deitas* usurpata, quem imitatus est Picus Mirandulanus:

Vnum in triplici numine numen habet.

Vnus praeterea Paschasius Diaconus *trigeminam maiestatem* dixit *Lib. VI. de Sp. Sanct. cap. III.* Sequamur nos Augustinum, quem tota cohors Theologorum sequitur, *Lib. VI. de Trinit. cap. VII. Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius.* Et Toletana Synod. X. in *Profes. fidei*: *Non triplex, sed Trinitas et dici, et credi debet.* Quod praeclare confirmat Sanctus Thomas, in *I. Pr. qu.* 31. *art. I.* Boëtium proferens, qui triplicitatem ait significare proportionem inaequalitatis. Quam rationem miror cur Petavius, veluti non magni momenti, posthabeat, quum ipse tamen nullius prorsus momenti responsionem producat; ait enim: *quod*

---

cuius Sanctus Thomas auctor est, ut nimirum ipsa nos Ecclesia doceat, neutram Catholicae fidei adversari. Plura si quis optet, adeat Duumviros clarissimos, Natalem Alexandrum *Dissert. V. Sect. IX.* et Dupinium *Bibliothec. Scriptor. Eccl. tom. VII.*

ad numerum attinet, *plures profecto tres personas esse quam unam*, nec videt ea ratione fieri dumtaxat ut triplex persona dici possit, non triplex Deus.

VI. Augustinum praeterea ita praeclare docentem *Tract. XXXIX. in Ioan. Hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt; non quod ad se sunt*, sequuti Theologi, hanc praescripserunt regulam, ut quae personae ratione solius essentiae conveniunt, singulariter, quae ratione solius proprietatis, pluraliter, quae ratione tum essentiae, tum proprietatis, tum singulariter, tum pluraliter efferantur. Hinc infert Augustinus ibidem; *Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio, et Spiritu Sancto, non sunt tres Dii: quia ad se est omnipotens simul cum Filio, et Spiritu Sancto, non sunt tres omnipotentes.* Et *Lib. V. de Trinit. Sicut non dicimus tres essentias, ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos . . . hoc et de bonitate, et de aeternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino praedicamentis, quae de Deo possunt pronuntiari, quod ad seipsum dicitur.*

VII. Exorbitasse tamen ex ea regula nonnulli Patres videntur, qui non modo pluraliter *concreta*, sed *abstracta* ipsa pronuncia-

runt; Gregorius Nazianzenus in primis, maximus ille inter Graecos Theologus, non raro et *bona tria*, et *tria lumina*, et *tres vitas*, *tres glorias* usurpat *Orat. VIII. de Trinit.* et *tres sanctitates Orat. XXIV.* Cui succensendi et alii Patres, qui sano certe et catholico sensu ita loquuntur, siquidem personalem dumtaxat rationem, non vero essentialem, absolutamque respexerunt, tametsi in iis loquendi formulis excusandi sint potius, quam imitandi (48).

---

(48) Mirum sane in modum hac in re Symbolum, quod vulgo Athanasio tribuitur, Scholasticorum ingenia torsit, quibus secum Auctor pugnare visus est. Quum enim edixerit: *Non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, non tres aeterni, increati, immensi, sed unus aeternus, increatus, immensus*, mox subdit: *Sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.* Contrarietas autem, si qua est, ita a Thoma diluitur in *I. Part. Quaest. XXXIX. art. I.* ut tres aeterni, immensique dici possint, si ea nomina adiective sumantur; si vero substantive, nonnisi unus aeternus, et immensus, quia scilicet priori sensu significant formam per modum adiacentis, et supposito inhaerentis, ut propterea a suppositorum numero numerum sumant. At posteriori sensu quum significent formam per modum subsistentis, illa per se sibi unitatem postulat et facit. Miror sane

VIII. Sana porro illa propositio est, et oppido luculenta, *Deus Deum genuit*, modo

---

quod Petavio de more suo Thomae doctrina non placeat: putat enim in Symbolo eam tantum pluralitatem damnari, quam Ariani invexerant, qui diversas in personis essentias adstruentes, diversam quoque in iis sapientiam, et bonitatem agnoscebant. Hunc errorem eo Symboli loco elidi docet, quum vetantur tres dici omnipotentes, immensi; si scilicet diversa immensitate, et omnipotentia praediti credantur; non damnari autem hunc numerum, si de ea omnipotentia, et immensitate accipiatur, quemadmodum in hoc altero esiusdem symboli loco accipitur, quum dicuntur coaeterni, et coaequales, ubi communis particula omnino diversitatis suspicionem excludit. Itaque negat Petavius, rem ad eas substantivi, et adiectivi angustias ducendam, quum nomina illa ex Grammaticorum regulis nullam substantivorum conditionem, contra vero adiectivorum habeant omnia. Sed ipse videtur Clarissimus Petavius se in angustias coniicere, quas detestatur, remque ex Grammaticis exquirere, quae ad sacrorum potius Scriptorum normam est exigenda. Quid? quod nemo hospes adeo esse potest in Sacris Litteris, ut non advertat passim ibi huiusmodi nomina substantive usurpari: veluti *Iob. cap. XXXV. Desiderium meum audiat Omnipotens.* Et *Ruth. cap. II. Amaritudine valde me replevit Omnipotens*; ubi Omnipotens substantive ponitur pro Deo. Eodem sensu Iustus, et

Dei nomine intelligatur Persona, nam Deus Pater Deum Filium genuit; non vero si pro essentia accipiatur, nam ut in Concilio Oecumenico Lateranensi IV. definitum adversus Ioachimum Abbatem: *Essentia neque generat, neque generatur.* In hunc modum Nicaeni Patres in Symbolo Jesum Christum confessi sunt *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero.* Atque iterum heic nostrae menti obversatur Calvini petulantia in *Lib. contra Gent.* qui nescio quibus ineptissimis nugis hanc antiquorum recentiorumque Patrum usu receptam formulam impetere conatur. Fallacias fallacibus relinquimus.

IX. Illud autem diligenter caveamus oportet, ut quum recte dicimus *alium*, atque *alium*, scilicet Patrem, et Filium, non dicamus *aliud* atque *aliud*. Id nos instanter monet Gregorius Nazianzenus in *Epist. I. ad Cledonium*, et universa Patrum, et Theologorum cohors, ex quibus unum Augustinum praestat audire *Tract. XXXVI in Ioan. Iam dicis Pater Pater est; Filius Filius est: bene periculum absorbentis gurgitis* (Sabellii)

Sapiens usurpatur alibi, ut proinde ad eum loquendi morem Thomae doctrina adcommodatissima videatur.

evasisti: quid vis ire in alteram partem, ut dicas aliud est Pater, Filius aliud? Alius est recte dicis: aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater; et alius Pater, quia non ipse, qui Filius; non tamen aliud; sed hoc ipsum est et Pater, et Filius. Quod iterum, iterumque alibi repetit.

X. Sed antequam hinc abeamus, e re maxime censeo opportunissima Sancti Thomae monita ex *Quaest. XXXI. Art.* 2. huc transferre: » Ad evitandum errorem Arii vitare debemus in Divinis nomen diversitatis, et differentiae, ne tollatur unitas essentiae . . . Ne autem tollatur simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen separationis, et divisionis, quae est totius in partes. Ne autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne autem tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, et discrepantis ... Ad vitandum vero errorem Sabellii, vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiae divinae; unde Hilarius dicit *VIII. de Trinit. Patrem et Filium singularem Deum praedicare sacrilegum est.* Debemus etiam vitare nomen unici, ne tollatur numerus Personarum; unde Hilarius in eodem libro dicit: *a Deo excluditur singularitas, atque unici intelligentia.* Dicimus ta-

men *unicum Filium*, quia non sunt plures Filii in Divinis. Neque tamen dicimus *unicum Deum*, quia pluribus Deitas est communis. Vitamus etiam nomen *confusi*, ne tollatur ordo naturae a Personis. Vnde Ambrosius dicit *Lib. I. de fide*: *Nec confusum est, quod unum est; neque multiplex esse potest, quod indifferens est.* Vitandum est etiam nomen solitarii, ne tollatur consortium trium Personarum; dicit enim Hilarius *Lib. IV. de Trinit. Nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confitendus* ».

CAP. XII.

DE IESU CHRISTI DIVINITATE.

I. Veram, et Patri consubstantialem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem adversus Arianos propugnaturi, integrum sane novi Foederis testamentum, cuius nulla non pagina de aeterno Filio testimonium perhibet, iis opponere deberemus. Ecquid enim aliud nobis in sanctis Evangeliis credendum proponitur, quam quod Christus Dei Filius sit? HAEC AUTEM (sic enim ipse Ioannes testatur) SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS,

QUIA IESUS EST CHRISTUS FILIUS DEI, ET UT CREDENTES VITAM HABEATIS IN NOMINE EIUS. Verum ne in infinitum nostra haec excurrat disputatio, id in animo est, nonnisi luculentiora, et firmiora quaeque persequi argumenta, quibus validissime, et uno veluti telo Sabellianorum, Arianorumque perfidia confodiatur.

SECTIO I.

Iesu Christi Divinitas ex initio Evangelii Sancti Ioannis invicte probatur.

I. Joannes, qui omnium novissimus ad confutandum Cerinthum, Divinamque Christi naturam adserendam scripsit Evangelium, ab aeterna Divini Verbi generatione sermonem auspicaturus. *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in Principio. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (49). Sane vel hoc uno te-

(49) Magnum, invictumque argumentum in Divinitatis I. C. dogmate adserendo, vindicandoque

stimonio Beatus Ioannes quotquot hostes furibunda inferorum rabies adversus Sanctissimam Trinitatem excitatura erat, strenuo debellavit, quemadmodum opportune Ambrosius animadvertit *Lib. I. de Fide cap. V.* » Omnes autem haereses hoc capite brevi noster Piscator exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio praevenitur. Ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non commistione confunditur, sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur: ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat Verbum: non ergo in prolatione sermonis hoc Verbum est; sed in illa caelestis designatione virtutis, ut con-

---

adversus Sabellianos, Arianosque ex hoc Ioannis Initio desumpserunt Patres, potissimum vero S. Athanasius in *suis Orationib. contr. Arianos*; S. Cyrillus in *Thesauro*; S. Basilius *Hom. XV. in princip. Ioann.* eiusque frater S. Gregorius Nyssenus, nec non Gregorius alter Nazianzenus, aliique passim Graeci. Ex Latinis vero S. Hilarius *Lib. de Trinit.* S. Ambrosius *de fide ad Gratian.* Et S. Augustinus frequentissime. Nec praetercam, quod Cyrillus *in Ioan.* Evangelium hoc cum rastris comparat, quo, ut alitor spinas ex horto suo, malasque stirpes, sic ille pravas haereticorum opiniones radicitus evellit.

futetur Photinus. Quod vero erat in principio apud Deum sempiternae Divinitatis in Patre, et Filio inseparabilis unitas edocetur: ut erubescat Eudoxius, et Eunomius. Postremo quum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor novi utique Testamenti, et veteris designatur; ut Manichaeus locum tentationis habere non possit. Ita Piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamquam essent inutiles captioni ».

II. Ne tamen perditissimorum Socinianorum cavillationibus invictissimum id Ioannis testimonium pateat, quod manibus pedibusque vel refringere, vel exscindere conantur, et ut omnis, qualis ea cumque esse possit, effugii spes iisdem praecludatur, illud in praesenti sedulo perpendere, particulatimque commentari opportunissimum duco.

III. IN PRINCIPIO ERAT. Nulli dubium, quin aeternitatem heic denotet Principii vox, veluti si dixerit Ioannes: ante omnia saeculorum saecula. Principii enim principium nusquam invenitur; nec eo, quod principium est, quid antiquius umquam. Quamobrem praeclare Fulgentius *Lib. II. ad Trasimund. Illud est dicendum vere principium, quod est essentialiter sempiternum.* Quam interpretationem disertissime illustrat Hilarius *Lib. II. de Tri-*

nit. » Quid est istud, in principio erat? Transeuntur tempora, transcenduntur saecula; tolluntur aetates. Pone aliquid quod voles tua principium opinione; non tenes tempore; erat enim unde tractatur. Respice ergo ad mundum, et intellige quid de eo scriptum sit. In principio fecit Deus caelum, et terram. Fit ergo in principio quod creatur, et aetatem continet, quod in principio continetur, ut fieret. Meus autem piscator illiteratus, indoctus, liber est a tempore, solutus a saeculis; vicit omne principium. Erat enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur, ut coeperit, quod erat potius in principio, quam fiebat »:

IV. Pudet autem ea referre, quae Faustum Socinum erroris perversitas evomere hac in re coëgit. Contendit primo, principium pro aeternitate in sacris Litteris nuspiam usurpari. Quid? ignorat namque, vel ignorare fortasse simulat Isaiae illud *XLIII.* 12. DICIT DOMINUS, ET EGO DEUS, ET AB INITIO EGO IPSE. Et Michaeae *V.* 2. quod de Messia dicitur: EGRESSUS EIUS AB INITIO, A DIEBUS AETERNITATIS, quae duo disertissima loca impudentis hominis abunde retundunt pervicaciam. Nec porro difficile est nebulam illam dissipare, quam

inducit effutiendo, Ioannem hoc loco ad Geneseos initium allusisse, *in principio creavit Deus* cet. ut intelligamus Verbum fuisse, non quidem ab omni aeternitate: sed ante res creatas omnes novi mundi. Sed quis nisi prope dementissimus ita sermocinatur? Damus Socino, quod Moses, et Joannes eodem exorsu orationem auspicantur Ἐν ἀρχῇ *in principio* (50); multum attamen interest inter *creavit*, et *erat*. Moses quidem mundi creationem descripturus: *In principio*, inquit, *creavit Deus caelum, et terram*, et omnes hinc facile intelligunt, caelum et terram non antea fuisse, sed tunc ex nihilo virtute Dei erupisse. Contra vero Sanctus Ioannes: *In principio*, ait: *erat Verbum*, *erat* nimirum, *erat* iam antea; non vero tunc incoeperat. Vnde Ambrosius *Lib. I. de fide ad Gratian. cap. V. Erat, erat, erat; ecce quater erat, ubi impius invenit quod non erat?* Et Cyrillus *Lib. I. in Ioan. cap. I. Verbum erat, infinite pronuntiatum, quonam in loco nos sistet, quum prosequentem mentem natura sua semper antevertat, et quam illius desitionem esse putaverit, hanc ulterioris cursus faciat initium?*

---

(50) Non heic Severiani Gabalitani revoco lo-

V. VERBUM. Ab initio Filii nomen tacet Ioannes, ne Iudaeos qui Patrem tantum noverant, Filiique nomen in Divinitate oderant, statim ab Evangelii sui lectione arceret; tum ne Filii nomine quid carnale intelligerent. Εν αρχη ην ο λογος igitur inquit, *in principio erat Verbum*. Quod autem graece est λογος a latino interprete vertitur Verbum. Quum enim multiplex του λογου significatio sit, duplex potissimum in hanc rem Theologicam adscita est, *rationis* scilicet, et *sermonis*. Et quidem utroque sensu Filium esse Verbum Patris putat Lactantius *Lib. IV. Institut. cap. IX.* ubi ait: λογος *et rationem significat, et sermonem, quia ille est et vox, et sapientia patris*. Propter duplicem hanc significationem, melius Graece dici λογον, quam latine Verbum, scribit idem: *sed melius Graeci* λογον *dicunt, quam nos verbum*

---

cum, quo duum foederum germanitatem ex eo colligit, quod eamdem ambo vocem emittant; cuius sane auctoritatem, oppido illustrem, commendat Clarissimus noster Alexius Symmachus Mazochius *Spicil. Bibl. tom. III. ad Ioan. I. I.* Etsi enim id ultro concedamus, non tamen ita concedendum, ut εν αρχη *in principio* eadem notione utrobique accipiatur, ipso reclamante textu, ut iam supra animadversum.

sive sermonem, quod et ipsissimis verbis fatetur Augustinus *Lib. V. de haeres. cap. VI.* Latini tamen Patres *Verbi* vocem rationis vocabulo anteposuerunt, ut rerum, credo, per Verbum creatarum ratio haberetur, Mosaicorumque Verborum: *Dixit autem Deus fiat* cet. Tum et *Verbum* potius, quam *sermonem* dicere maluerunt, ad Divinam notandam simplicitatem, quam ut opinor, dedecere videbatur *sermonis* vocabulum, qui ex multis conflatam vocibus notat orationem (51). Itaque Verbi nomine Dei sapien-

---

(51) Etsi ex antiquis Patribus non defuerint, qui vocem λογον interdum *sermonem*, interdum *Verbum* reddiderint, *Verbum* tamen frequentius, et constantius usurparunt, potissimum autem post Nicaenum Concilium, ex quo communi omnium Patrum usu adpellatio *Verbi* trita est. Qua de re reprehendendus heic venit Erasmus, qui initio Ioannis vertit *sermonem*, eo quod *Verbum* minime respondeat τω λογω, sed *sermo*; quum in vocibus quae artium propriae evaserunt, consuetudo spectanda sit utentium. Praesertim quum *sermo* in hac re non prolatitius, sed internus, ac mente conceptus, ac expressus sit, quod verbum mentis Philosophi adpellant, quod sane longe melius *verbi*, quam *sermonis* nomine significatur. Quare significationem magis, quam vocem του λογου reddere per nomen *Verbi* Latini Patres studuisse visi sunt.

tiam simplicissimam, quae in mente Patris expressa est, per quam cuncta molitus est Pater, Catholici omnes accipiunt, et ipse Ioannes intellexit. Huius hunc fuisse sensum contra Socinianos probandum adgredimur, qui Christum ideo Verbum Patris nuncupari dicunt, quod Deus Pater per os eius nos fuerit allocutus.

VI. Sunt autem ad id demonstrandum argumenta potentissima, tum consuetudo loquendi eius aetatis, qua scripsit Evangelium Joannes, tum finis etiam, quo ad id scribendum impulsus est Apostolus. Quod ad primum pertinet, nemo potest inficiari, Philonem Judaeum, qui eodem, quo Joannes tempore floruit, Verbum Dei pro ipsa sapientia Dei, qua mundus conditus est, accepisse: nam in libro *de Mundi opificio* diserte probat θειον λογον esse mundi conditorem, et exemplarem rerum omnium caussam. Eumdem λογον esse αιδιον φυσεος *aeternae naturae* docet *Lib. II. de Vita Mosis*. Angelos etiam quos intelligentias adpellamus, λογους vocat idem Philo, inter quos tamen Divinam sapientiam θειον λογον adpellat, quam Origenes verbum omni verbo sublimius praedicat contra Celsum τον υπερ παντος λογου λογον. Eamdem του λογου significationem apud ipsos

Ethnicos, quos redarguit Tertullianus in *Apologia cap. XXI*, obtinuisse constat; ait enim *apud vestros Sapientes λογον idest sermonem atque rationem constat artificem videri universitatis*, nec aliter id verbum sonat apud Clementem Alexandrinum, Irenaeum, aliosque. Vnde Augustinus rerum ideas, in mente Divina existentes, passim vocat rationes. Igitur λογος semper pro Divina Sapientia, cunctarum rerum effectrice, accepta est, eaque του λογου significatio, quo tempore Joannes Evangelium perscribebat, apud sapientes promulgata erat, ut non aliter voce illa usus Evangelista credi possit. Quod si cui videatur ex Platonicis ducta fontibus adpellatio του λογου, is meminerit Platonem pleraque ex Hebraeis, ac Salomonis praesertim libris, in quibus Divina Sapientia tantis laudibus fertur, esse mutuatum; Quin Pythagoram ipsum philosophiam a Judaeis traxisse in Graeciam, Origenes auctor est *Lib. I. contr. Celsum* ipsis Graecis testibus usus (52).

---

(52) Praeter Platonem, Zezonem, Onkelosum, alterum de θειω λογω testem produxit Alexius Symmachus Mazochius *Spicil. Bibl. in Ioan.* ex Exechiele Iudaeo, scriptore sane quam vetusto, qui εξαγωγην (opus dramaticum de Habraeorum

VII. Alterum argumentum omnem effugii spem praecludit Socinianis. Enimvero nemo, inficiaturus erit, quin Joannes ad confutandos Cerinthi errores scripserit Evangelium; id enim tradit Irenaeus *Lib. III. contr. haeres. cap. XI. Voluit Joannes per Evangelii annunciationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem . . . et suadere, quoniam unus Deus, qui omnia fecit per Verbum suum* (53). Porro Irenaeus

---

ex Aegypto egressu) scriptam reliquit, apud quem sic Mosem alloquitur e rubo Deus:

Επισχες, ω φεριστε, μη προσεγγισης
Μωση, πριν η των σων ποδων γυσηι δεσιν.
Αγια γαρ η γη, οπου συ εφεστηκας, πεγει.
Ο δ' εκ βατου σοι θειος εκλαμπει ΛΟΓΟΣ.

Heus tu, resiste dum, ne conferas gradum,
Moses, priusquam calceos tibi detrahas:
Est namque sanctum, ubi constitisti, nunc solum:
Tum qui ex rubo micat, ecce sermo is dius est.

(53) Praeter Irenaeum rem disertis verbis testatur Epiphanius *Haeres. LXIX. Beatus Ioannes post alios* (Evangelistas) *veniens, cum homines in infima Christi natura totos occupari cerneret, atque Ebionaeos, et Cerinthianos, et Merinthianos, ex utriusque sexus copulatione merum hominem illum natum asserere; idemque et Naza-*

Polycarpo Joannis Apostoli discipulo usus est familiariter, a quo scribit accepisse, quod Ioannes Cerinthum veritatis inimicum fugiens., e balneo illotus exiliverit. Error autem Cerinthi Christi Divinitatem adprime impetebat, quem adfirmabat non fuisse ante Mariam. Omnia igitur talia descripturus discipulus Domini, et regulam veritatis in Ecclesia constituturus, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visibilia, et invisibilia; significans praeterea quoniam per Verbum Deus salutem his qui in conditione sunt, praestitit homi-

---

raeos, et nonnullas alias haereses sentire, tamquam postremus omnium (quartus hic Evangelium scribere adgressus est) aberrantes illos, et in humana Christi generatione, plusquam par est, intentos revocare instituit. Quibus consentit Hieronymus in *Catal. vir. illust. cap. IX. Novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Asiae Episcopis adversus Cerinthum, aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum Dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere.* Vnus tamen, stultus enim et delirus, Faustus Socinus scopum hunc Sancti Evangelistae figmentum adpellat in *Prolegom. ad explicat. Evang. Ioan. ap. Biblioth. Fr. Polonor. tom. I. p. 77.*

nibus, sic exorsus est eam, quae secundum Evangelium est doctrinam: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM.

VIII. Quod autem Joannes id sibi proposuerit, ut Divinae Sapientiae seu Verbi aeternam generationem a Salomone tantopere praedicatam *Proverb. VIII.* compendiária oratione describeret, ignorare non poterit quisquis inter se utriusque verba contulerit. Nam quod in principio erat Verbum, ita Salomon docuerat ipsius Sapientiae verbis: DOMINUS POSSEDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM. Est autem verbum hebraicum בגח *quanah possidere*, etiam iure generationis, ut *Genes. IV. possedi hominem per Deum*, hoc est genui. Atque ipsi LXX. interpretes apud quos eo proverbii in loco legimus εκτισε, quod Ario telum contra Catholicos fuit, *Zach. XIII.* verbum *quanah* verterunt εγεννησε. Quae sequuntur Sapientiae verba id ipsum luculenter ostendunt: ANTEQUAM QUIDQUAM FACERET A PRINCIPIO, AB AETERNO ORDINATA SUM, secundum autem Hebraicum textum *inuncta sum*. Praeterea quod Verbum erat apud Deum, et quod omnia per ipsum facta, quod erat lux hominum, pluribus docet Salomon: QUANDO PRAEPARABAT CAELOS ADE-

RAM, ET CUM EO ERAM CUNCTA COMPONENS; et rursus: PER ME REGES REGNANT, ET MECUM CONDITORES IUSTA DECERNUNT. Ex quibus constat a Joanne Verbum nuncupari Sapientiam Dei, quam locupletissime Salomon commendaverat (54).

IX. ET VERBUM ERAT APUD DEUM. Nimirum Verbum illud, quod a principio et

---

(54) Haec quum ita sint, quisque videat quam ridendus veniat Socinus, qui *Verbi* vocem metaphorice, et metonymice accipiendam contendit, quod scilicet, sicut verbo hominis eius voluntas cognoscitur, ita per Christum voluntas Dei manifestatur: unde *verbum* dici blaterat non secus ac Ioannes Baptista dictus est *Vox*, et Aaron *os Mosis*. Si res ita foret non Christus Dominus tantum, sed Propheta, et Apostolus quisquis, a quo Dei voluntatem edoceremur, *Verbum Dei* adpellari posset. Verum ecquod huiusmodi adpellationis exemplum ex Sacris Litteris proferet Socinus? ecquod aliunde? Accedit quod Joannes in *Apocal. cap. XIX.* 13. de Christo, quem gloriosum vidit in Caelo, inquit: ET VOCABATUR NOMEN EIUS VERBUM, quod sane Personam, non munus indicat. Quid quod, quae S. Ioannes de Verbo praedicat, omnino ipsum esse veram Personam demonstrant, nempe Verbum fuisse apud Deum, fuisse Deum, omnia per ipsum facta esse, ac denique ipsum factum esse carnem.

semper erat apud Deum Patrem, sive cum Deo Patre, erat indivulsus ab illo. At quum ait: erat apud Deum, adposite distinctionem indicat personarum, Patris nempe et Verbi; in quo Sabellii error convincitur, qui unicam personam Patrem, et Verbum adfirmabat.

X. ET DEUS ERAT VERBUM. HOC ERAT IN PRINCIPIO. Sensus hic est: Et Verbum illud, quod ab initio et ante omnia erat, et apud Deum Patrem erat, Deus etiam erat; in quo convincitur Arius, siquidem Dei verbum et Filium creaturam dicebat. Vnde Augustinus *Lib. I. de Trinit. In eo autem declaratur, non tantum Deum esse, sed etiam eiusdem cum Patre substantiae; quia quum dixisset et Deus erat Verbum, hoc erat, inquit, in principio apud Deum.*

XI. OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT, ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL. Comma acute explicat Augustinus *Lib. I. de Trinit. cap. VI.* quem audire praestat: » Neque dicit Omnia, nisi quae facta sunt, id est omnem creaturam. Vnde liquido adparet, ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est (55). Si autem creatura non est,

(55) Ex eo quod per Verbum omnia facta

eiusdem cum Patre substantiae est. Omnis enim substantia quae Deus non est, creatura est; et quae creatura non est, Deus est. Et si non est Filius eiusdem substantiae, cuius est Pater: ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Vnius igitur, eiusdemque cum Patre substantiae est; et ideo non tantum Deus; sed et verus Deus ».

XII. ET VERBUM CARO FACTUM EST. Omnino delirat heic Socinus; graecum enim textum και ο λογος σαρξ εγενετο vertit: *Et Verbum caro fuit* (56), idque ab Evange-

---

sunt, non ipsummet esse factum, uno ore, disertissimisque verbis contra Arianos evincunt Patres, potissimum vero Athanasius *Lib. I. et II. contr. Arian.* Cyrillus *Lib. IV. Thesaur.* Ambrosius *Lib. IV. de fide cap VI.* ne ceteros memorem.

(56) Nimirum similia loca ex Sanctis Scripturis opponit Socinus ubi vox εγενετο usurpatur pro *fuit*, ut Lucae *XXIV.* 19. ος εγενετο ανηρ προφητης, quod in latina versione dicitur *qui fuit vir propheta*; Quin et in ipso Ioannis Evangelio *v.* 6. ubi nostra vulgata habet: *fuit* homo missus a Deo, graeca exemplaria habent εγενετο. Concedimus id ultro Socino, eiusque sectatoribus, modo ipsi prius nobis concedant, eamdem vocem

sta prudenter notatum contendit, ne Fideles Verbum esse verum Deum putarent. Proh scelus! vel caecus est, vel caecis imponere cupit Socinus. Sane si erroris periculum, quod timet Socinus, praecavere voluisset San-

---

multo frequentius in sacris litteris significare *factum est*, a verbo γινομαι, *fio*. Verum ne adhuc obganniant, notandum id sedulo, Sanctum Ioannem in prima parte capitis primi decies fere adhibuisse vocem *erat* ην. Post autem *vers.* 14. non eo verbo (ειμι *sum*) utitur, sed mutata loquendi ratione, verbo γινομαι *nasci* usus est: και ο λογος σαρξ εγενετο, *et Verbum caro factum est*. Profecto si significare voluisset *Verbum caro fuit*, ut Sociniani blaterant, cur eodem verbo ειμι sum usus non est? Sane huiusmodi mutatio non aliud indicat, quam quod eo sermone ineffabile incarnationis mysterium exprimere Sanctus Ioannes voluit. Addam amplius, εγενετο habet Graecus textus, ubi latinus; Omnia per ipsum *facta sunt*, et sine ipso *factum est* nihil, quod factum est. Non dubitant Sociniani quin εγενετο recte translatum sit in latinum *factum est*; cur autem negant recte versum και ο λογος σαρξ εγενετο, *et Verbum caro factum est*? Frustra vero opponunt comma illud eiusdem Evangelii *fuit homo missus a Deo*, ubi quod Latine *fuit*, Graece est εγενετο; nam non secus verti debuit locus ob participium απεσταλμενος παρα θεου *missus a Deo*.

ctus Joannes, non utique ab initio dixisset *Verbum erat Deus*, non utique clamasset in prima sua Epistola *cap. III.* HIC (nempe Christus, qui est ipsum Divinum Verbum caro factum) EST VERUS DEUS, VITA AETERNA.

XIII. Porro quanta sit huius loci vis ad Christi Divinitatem adstruendam, vel ex eo abunde quisquis intelliget, quod ad incitas prope redacti, convictique Sociniani, Joannem obscuritatis abruptae, minimeque sibi cohaerentis insimulant. Qua in re non minus eorum impudentiam redarguam, quam caecitatem commiserandam existimo. Quidni enim obscurissima sit, minimeque cohaerens Joannis oratio iis, qui eversam ibi Christi Divinitatem quaerunt: caeci sunt illi igitur, qui in Solis lumine nihil cernunt, perversi vero qui Solis obscuritatem, quam suam caecitatem caussare malunt.

SECTIO II.

Christi Divinitas ex plerisque N. T. locis evincitur, ubi de aeterna eius generatione.

I. Amplissimam porro Divinorum testimoniorum segetem adversus Arianam perfidiam, Sacrosanctum idem novae legis Testamentum nobis suppeditat, quae ne absque ullo vagentur ordine, ad tria potissimum capita referamus, ad generationem nempe, naturam, et potestatem, de quibus singulatim dicendum.

II. Quoad generationem primum, Jesum Christum verum Dei Patris Filium in Sanctis Scripturis nominari, nemo quantumvis pervicax inficiabitur. Disertissime enim id testatur Joannes *I.* 18. DEUM NEMO VIDIT UMQUAM, UNIGENITUS, QUI EST IN SINU PATRIS IPSE ENARRAVIT, ubi Christus non solum Filius, sed Filius unigenitus, et qui est in sinu Patris dicitur. *Ibid. v.* 34. Baptista clamat: EGO VIDI, ET TESTIMONIUM PERHIBUI, QUIA HIC EST FILIUS DEI. Et *cap. XX.* HAEC AUTEM SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS QUIA IESUS EST CHRISTUS FILIUS DEI.

III. Porro Filii nomen adprime indicat,

Verbum eiusdem naturae, et Divinitatis esse, qua Pater, adeoque sempiternum, et aequale, non vero creatum, vel factum. Vnde Cyrillus *Thesaur. Lib. XXIII. Quid potuit ex Deo nasci, nisi verus Deus?* Et acute, fuseque Athanasius *Lib. III. contr. Arian.*» Quis audiens nominari Filium, non statim de eo cogitat, eum esse proprium quiddam paternae substantiae? Quis in prima Christianismi sui institutione audiens quemadmodum Deus habet Filium, ac proprio Verbo omnia fecit, non ita mente, ut nos modo sentimus, accepit? Quis, cum primum est exorta scelerata Arianorum haeresis, non, statim ut quae ab illis dicuntur audiit, obstupefactus est, tamquam ipsis aliena loquentibus, atque praeter satum ab initio verbum superferentibus? Etenim hoc in unaquaque anima satum est ab initio, et sempiternum; Deum Filium habere Verbum, sapientiam, virtutem: et haec illius imaginem, et splendorem esse. Oritur vero statim ex iis dictis aeternum quiddam, et existens a Patre, simileque substantiae generantis: ac nulla in istis inest opificii, vel creaturae notio ».

IV. Atque huc revocandum luculentissimum illud *Psalmi CIX.* testimonium, qui Christi Domini, et Apostoli auctoritate de Filio,

seu Messia scriptus est. Pater enim Filium adloquitur: EX UTERO ANTE LUCIFERUM GENUI TE. Vbi per Luciferum, Augustino auctore *Hom. l. XLIII. cap. III.* significantur tempora, ut intelligamus Verbum ante omnia tempora genitum; per verbum gignendi, proprietas etiam generationis explicatur, ut adposite disputat Athanasius *de decret. Synod. VI. cetera a Deo creata, et facta dicuntur, sicuti ab hominibus condita et facta domus; Verbum vero genitum, sicuti genitus dicitur ab homine Filius.* Expressissime vero per nomen uteri ostenditur, Verbum genitum de paterna substantia.« Sicuti enim (ut praeclare disserit Hilarius *Lib. XII. de Trinit.*) Deo manus, cor, oculi tribuuntur ad explicandam efficientiam earum operationum, quas partibus hisce corporeis homines perficiunt; tametsi partes illas inesse Deo nemo putet; ita ad proprietatem generationis spiritualis, atque ineffabilis ex paterna substantia exprimendam, vox uteri usurpata est, qua nulla significantior adhiberi potuisset ».

V. Quum autem tanta sit huiusmodi nominum, Geniti, Vnigeniti, nativitatis, et generationis vis ad probandum, nativitatem illam ex paterna esse substantia, quis non

Arianorum pravitatem detestatur, qui Christum Filium Dei adoptivum fatentur, naturalem negant? Sane Hilarius vel uno unigeniti nomine omnem prorsus adoptionis suspicionem amputari docet in *Lib. VI. de Trinit.* ubi Apostoli testimonium illustrans, SIC DEUS DILEXIT MUNDUM, UT FILIUM SUUM UNIGENITUM DARET, ait: *futurum procul dubio, ut charitatem suam Deus non magnopere commendaret, si pro creaturis creaturam, et ad redimenda ea quae ex nihilo sunt, eum, qui ex nihilo etiam factus est, praebuisset* ». Et omnino praeclare Augustinus *Lib. I. contr. Maxim. Etenim si natus est, Filius est: si Filius est, verus Filius est, quia unigenitus est. Nam et nos dicti sumus filii. Sed numquid unigeniti sumus tot filii?*

VI. Naturalem praeterea esse, non vero adoptivam filiationem huiusmodi, invictissime Hilarius ex illo altero Apostolico effato colligit in *Epist. ad Rom.*. QUI ETIAM PROPRIO FILIO SUO NON PEPERCIT, SED PRO NOBIS OMNIBUS TRADIDIT ILLUM. » Numquidnam, ait, etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut

magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio Filio suo docuit. Nec utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturae, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quaere virtutem dicti, ut magnitudinem charitatis intelligas. Quid sit proprium expende, ne ignores veritatem . . . . Naturae veritatem significanter expressit, ut qui superius filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Deum Filium proprietatis ostenderet ».

VII. Quod si adoptivus Dei Filius intelligatur Christus, ubi in Sacris Litteris Dei Filius adpellatur, unde tanta confessionis Petri commendatio, ut supra petram illam aedificaretur Fcclesia, cum ait *Matth. XVI.* 16. TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI? Si hanc dumtaxat adoptionem Christus de seipso praedicasset, unde tanta Judaeorum indignatio, ut hoc tantum crimine illum morti damnarent *Ioan. XIX.* 7. QUIA FILIUM DEI SE FECIT? Si denique ex nihilo Filius Dei esset, et creata persona illa esset, cur Judaei dixerunt: UNDE SIT NESCIMUS. *Ignorari enim*, Hilarius ait; *unde sit non potest, quidquid subsistit ex nihilo.* Certissime igitur eximium, ac singulare ali-

quid in illa professione fidei latebat, quod humanam, ac creatam conditionem excederet. Cuiusmodi et alia suppetunt dicta, veluti *Ioan. IX.* 36. Christus ait: TU CREDIS IN FILIUM DEI? Et Martha *ibid. XI.* 17. TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, QUI IN HUNC MUNDUM VENISTI. Et *Ioan. I.* 4. 15. QUISQUIS CONFESSUS FUERIT, QUONIAM IESUS EST FILIUS DEI, DEUS IN EO MANET, ET IPSE IN DEO.

SECTIO III.

Christi Divinitas ex plerisque N. T. locis evincitur, ubi de eius natura, et potestate.

I. Nihil equidem expressius desiderari posse puto ad Arianorum, Sabellianorumque blasphemias convellendas, quam luculentissimum illud Christi Domini testimonium *Ioan. X.* 30. EGO ET PATER UNUM SUMUS. Quum enim dicit » Ego et Pater (acute disputat Ambrosius *Lib. III. de Sp. Sanct. cap. XVII.*) revelatur aequalitas, quum dicit unum sumus, unitas declaratur. Aequalitas confusionem excludit: unitas se-

parationem: aequalitas Patrem, Filiumque distinguit: unitas Patrem, Filiumque non separat. Ergo quum dicit: Ego et Pater, Sabellianum repellit; quia alium se, alium Patrem dixit; repellit Photinianum, quia se cum Deo Patre iunxit. Illos superioribus repellit, quia dixit, Ego et Pater; inferioribus Arianos, quia dicit unum sumus. Tamen et in superioribus, et in inferioribus haereticam iugulat saevitatem: Sabellianorum, quia unum, dixit, sumus, non unus sumus: Arianorum, quia ego, et Pater, non Pater, et ego dixit (57) ».

II. Accedit alterum Divinitatis Christi insigne argumentum ex ipsiusmet Domini verbis *Ioan. XIV.* 9. QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM . . . . . NON CREDITIS QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? Ex quibus Filium in omnibus similem, et aequalem esse nemo non intel-

(57) Vel hoc uno Scripturarum loco armati Patres strenuissime adversus Arianos pugnarunt. Conferas Athanasium *Lib. IV. et V. adv. Arian.* Epiphanium *Haeres. LXII.* Hilarium *Lib. VIII.* Gregorium Nyssenum *Lib. I. contr. Eunom.* Augustinum *Tract. XXXV. in Ioan.* Cyrillum *Lib. I. Thesaur.* Vide et quae nos supra in hunc locum commentati sumus *Cap. III. de SS. Trin. pag.* 45.

liget. Quomodo enim qui videt unam Personam, videt et alteram: nisi ita sibi invicem similes sint, ut neque natura discrepent; neque perfectionis uni insit quidpiam, quod in altera desideratur? Adposite hinc Chrysostomus *Hom. LXXIV. in Ioan Qui creaturam videt, non ideo videt Dei substantiam. Itaque si diversae esset substantiae, numquam illud diceret. Tum nemo quid sit aurum nesciens, potest auri in argento videre substantiam. Non enim alia per aliam natura videtur.*

III. Sed ut a Christi natura ad eiusdem potestatem transeamus, ipse dixit *Ioan. V.* PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, ET EGO OPEROR, quod sane dictum Judaeis displicuit, ipso teste Joanne: PROPTEREA ERGO MAGIS QUAEREBANT EUM IUDAEI INTERFICERE; QUIA NON SOLUM SOLVEBAT SABBATUM; SED ET PATREM SUUM DICEBAT DEUM, AEQUALEM SE FACIENS DEO. Hem quale testimonium! quo uno Arianis conclamatum est. *Omnes enim* (egregie inquit Augustinus *Tract. XVII.*) *dicimus Deo, Pater noster qui es in Caelis. Legimus et Judaeos dixisse, cum tu sis Pater noster. Ergo non hinc irascebantur, quia Patrem suum dice-*

bat Deum, sed quod longe alio modo, quam homines. Ecce intelligunt Judaei, quod non intelligunt Ariani.

IV. Quod si Filius Patri inaequalis sit, quemadmodum Deo inaequalis est creatura; eccur Christus se apud Judaeos non excusat? Eccur conceptam a Judaeis opinionem non eliminat? Immo persuasionem illam magnificentius firmat: QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, QUI MISIT ILLUM. Et praeterea eamdem cum Patre potestatem habere testatur, ut aeque ac Pater mortuos suscitare possit: SICUT ENIM PATER HABET VITAM IN SEMETIPSO, SIC DEDIT ET FILIO HABERE VITAM IN SEMETIPSO. . . SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS, ET VIVIFICAT, SIC ET FILIUS, QUOS VULT, VIVIFICAT. An quid Christus huiusmodi verbis suadere vellet, non intellexerunt Judaei? Vtinam Arianis mens tam laeva non sit, ut ea non intelligant quae Judaei intellexerunt.

V. Porro Christum Deum esse, Ariani facile in suis fidei formulis concedunt, ita tamen ut unum summum Deum, verum bonum, aeternum, immortalem, invisibilem, omnipotentem, qui Pater est, adgnoscant,

Filium vero, nonnisi *ομωνυμος*, et secundo veluti dignitatis gradu. O impietatem detestandam! Si diversa est Filii a Patre natura, si amborum dispar est dignitas, et potestas, non unus erit Christianorum Deus, sed duo, quorum alter maior erit, minor alter. Sed quid hoc *maius*, et *minus*? Divinitas gradum non habet, utpote unica. Et ut Irenaeus inquit *Lib. IV. cap. V. Qui super se habet aliquem superiorem: et sub alterius potestate est, hic neque Deus, neque magnus Rex dici potest.* Si igitur Dei Filius, o Ariane, Deus est, ut passim in Scripturis adpellatur, totum id quod Dei vocabulo consentaneum est, Filio vindica, bonitatem nimirum, veritatem, immensitatem, omnipotentiam, aeternitatem; vel si haec Filio denegas, vel in Filio minuis; cur Dei nomen ab eo non auferas?

VI. At praeterea quid de Patre Scripturae praedicant, quod non item de Filio? An nomen? sed Filius millies Deus nominatur, et ut Arianus conticescat, Joannes inquit: HIC EST VERUS DEUS. « Quaero (inquit hinc Hilarius) quid significationis habeat Deus, et non Deus verus. Non enim verbi huius apprehendo rationem, si dicatur mihi, ignis est, sed non est verus ignis: aut

aqua est, sed non est vera aqua: et quaero in quo eiusdem generis veritas a generis eiusdem veritate dissentiat. Quod enim ignis est, non potest esse, ne verus sit: nec natura manens eo potest carere, quod vera est. Perime aquae quod est, et per id poteris abolere ne vera sit. Ceterum si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat ut vera sit. Potest ita demum natura perire, si non sit: verum non potest non vera esse, si maneat. Aut Deus verus est Filius Dei, ut Deus sit: aut si non est verus Deus, non potest id etiam esse quod Deus est: quia si natura non sit, non naturae competit nomen; si autem naturae in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturae ».

VII. An porro Omnipotentiam Filii Dei Scripturae non praedicant? Praesto est Apocalypseos illud *I. v.* 3. EGO SUM A ET Ω PRINCIPIUM ET FINIS, DICIT DOMINUS DEUS, QUI EST, ET QUI ERAT, ET QUI VENTURUS EST OMNIPOTENS. Omnipotens ergo dicitur qui venturus est, et quis est alius, qui venturus est, nisi Christus Filius Dei? An non et Filii Dei aeternitatem non audis, quum dicitur ibi: EGO SUM A ET Ω PRINCIPIUM ET FINIS? quum dicitur: IN PRINCIPIO ERAT VER-

BUM? An non immortalitatem habet, quum de eo scriptum sit *Ioan. I.* HIC EST VERUS DEUS, ET VITA AETERNA? An et veritatem, bonitatem, immensitatem, et hoc genus reliqua Filius non habet? Sed ipsum Christum audi *Ioan. XVI.* 15. OMNIA QUAECUMQUE HABET PATER, MEA SUNT. Et *XVII.* 10. Patrem adloquitur Christus: MEA OMNIA TUA SUNT, ET TUA MEA SUNT.

SECTIO IV.

Scripturarum textus, quos Divinitatis Christi hostes opponunt, illustrantur, et explicantur.

I. Quum nihil Ariani moliantur acrius, ac fraudolentius, quam ut Christum Dei Filium non eiusdem cum Patre substantiae, sed veluti inferioris ordinis Deum ex ipsis Sanctis Scripturis suadeant, illud attentius in praesenti exequamur oportet, ut offensionem illam, quam in Scripturis inveniunt, repurgemus. Sed antequam certamen cum impudentissimis sychophantis, vel ut potius dicam cum diaboli legatis subeamus, unde mentiendi, et fallendi occasionem adripuerint, detegere praestat.

II. Quum duae sint in Christo Domino naturae, Divina nimirum, et humana, suis distinctae proprietatibus, et nonnulla passim de alterutra in Sacris Scripturis habeantur, quae in alteram minime congruunt, hinc captiosi homines et lapides, et coementa ad indignum superstruendum dogma arcessiverunt. Nam quae ad humanae conditionis pertinent imbecillitatem, Divinae Christi naturae impingentes, Filium vel per insaniam, vel per dolum infra Paternam dignitatem abiecerunt. Tantam captiosorum hominum improbitatem adprime Soebadius (quem Foebadium alii adpellant) detexit in *Lib. advers Arian. O duces coeci! o saeculi ambitione decepti non distinguentes Dominicae substantiae duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem; et quidquid de homine dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus hominis imbecillitate saucietur.* Itemque Ambrosius *Lib. III. de fide cap. V. Verum Ariani, veluti Iudaici caupones, miscent aquam cum vino, quia divinam generationem, humanamque confundunt, ad divinitatem referentes quod de carne sit dictum.* Et Hilarius *Lib. IX. Hinc itaque fallendi simplices, atque ignorantes haereticis occasio est, ut quae ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secun-*

dum naturae divinae infirmitatem mentiantur. Quamobrem Arianas fallacias, calumniasque caventes, Augustini regulam *Lib. I. de Trinit. cap. XI.* in intelligendis quae de Filio Dei in Scripturis dicuntur, teneamus: *Distinguamus quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua aequalis est Patri, et quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre.*

III. His opportune praeiactis, audiamus primum quod opponunt ex Joannis Evangelio *XIV. v.* 28. testimonium, ubi Christus ait: PATER MAIOR ME EST, quo vel uno triumphum canere videntur. Nam ut aiunt apud Cyrillum *Lib. II. Th. quae eamdem substantiam nacta sunt, et eiusdem sunt naturae, non habent inter se naturaliter maius, aut minus: quare quum Filius Patrem maiorem se esse dicat: consubstantiale vero consubstantiali majus esse ratione substantiae nequeat; non est ei consubstantialis.* Sed Arianorum et fraudi, et improbitati occurrit Augustinus, eorumque fauces prorsus perstringit in *Lib. I. de Trinit. cap. VII. Et illi quidem dicunt, minorem Filium esse, quam Pater est, quia scriptum ipso Domino dicente* PATER MAIOR ME EST. *Veritas autem ostendit secundum istum*

modum etiam seipso minorem Filium. Quomodo enim non etiam seipso minor factus est, qui seipsum exinanivit, formam servi accipiens? Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi, ut in forma Dei idem ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in forma Dei aequalis Patri, in forma servi mediator Dei et hominum homo Christus Deus: Quis non intelligat, quod in forma Dei etiam ipse seipso maior est, in forma autem servi etiam seipso minor est? Non itaque immerito Scriptura utrumque dicit, et aequalem Patri Filium, et Patrem maiorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur(58).

---

(58) Alteram loci explanationem Catholici Patres, ex Graecis praesertim, adversus hanc haereticorum calumniam opposuerunt. Nempe de Christo, qui Dei Filius est, intelligi posse locum fatentur, qui minor Patre improprie dici potest, ratione nimirum originis, quam Filius habet a Patre. Vtraque textus interpretatio, et eorum qui Christi verba ad eius humanitatem referunt, eorumque qui ea de Christi Divinitate explicant, *ex eo, quod ipse a Patre sit genitus*, in Concilio Constantinopolitano probata per LVI. Episcopos *an. MCLXVI.* Confer Labbeum *Concil. tom. XIII.*

IV. Locus alter, quem Ariani ad labefactandam catholicam Divinitatis Christi fidem adsumunt, est apud Matthaeum *XXIV.* 36. et *Marc. XIII.* 32. DE DIE AUTEM ILLO, VEL HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI IN CAELO NEQUE FILIUS, NISI PATER, ex quo impudenter arguunt, inferioris, dissimilisque conditionis esse Filium; non enim qui novit, aequalis esse potest ei qui ignorat. Vtinam tamen vim sermonis penetrassent Ariani, quorum ingenium erroris perversitas defoecavit Quomodo enim suadere nituntur, Filium Dei iudicii diem ignorasse, quum OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT, etiam quae futura sunt, in quibus est iste dies? Quomodo id ignorare poterat Christus, in quo teste Apostolo *ad Colos. II.* 3. SUNT OMNES THESAURI SAPIENTIAE, ET SCIENTIAE DEI ABSCONDITI? Quomodo id latere poterat eum, qui est Verbum, in quo, et per quod dicta sunt omnia? Qui constitutus est a Patre iudex vivorum, et mortuorum, de quo *Ioan. V.* 24. NEQUE ENIM PATER IUDICAT QUEMQUAM, SED OMNE IUDICIUM DEDIT

et Leonem Allatium *de consensu utriusque Eccles. Lib. II. cap. XII.* Multus hac in re Petavius est, quem adeas *Dogm. Theol. Lib. II. cap. II.*

FILIO? Qui, quae illo die, et ante, et post illum contingent, apertissime praenunciavit? Aliud igitur isthaec ignoratio indicat (59).

---

(59) Longum esset Patrum omnium antiquorum dissolvendae quaestionis huius rationes adferre. Illam non praetereo, cunctorum fere ore tritissimam, Filium qua homo est, sive secundum carnem iudicii diem ignorasse. In hac sententia praeclare versatus est Athanasius *Orat. IV. Postquam homo factus est, non eum puduit propter carnem ignorantem dicere, non novi; ut ostenderet se ut Deum scientem, nescire carnaliter. Quapropter minime dixit: neque Filius Dei: ut ne Divinitas ipsa nescire videatur, sed simpliciter; neque Filius: ut ex hominibus nato Filio ignoratio tribuatur.* Similia habet Eustachius Antiochenus *Lib. VI. contr. Arian.* cuius verba recitat Facundus *Lib. II.* Et Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVI. Nosse Christum* ait, *illum diem, qua Deus est, ignorare vero qua est homo.* His adstipulatur Cyrillus *Lib. XXII. Thesaur.* et fuse Hilarius *Lib. IX. Non ergo*, inquit, *quia nescire se diem, et momentum Filius dicit, nescire credendus est: Sicut cum secundum hominem, aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrimis, aut sommo, aut timori est confitendus. Sed salva unigeniti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum pati necesse est: et secundum ho-*

V. Enimvero Christus Dominus iudicii diem vel ideo se dixit ignorasse, quod revelare illum discipulis non poterat, et ut Augustini verbis utar (60): *Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant, et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat.* Nimirum Dominus noster, homo inter homines versans, paternorum consiliorum, arcanorumque interpres fuit, nec quidquam ignorare poterat, quum omnia a Patre didicisset. Sed quum eo officio fungeretur, ut hominibus mandata Patris loqueretur, non omnia quae sciebat, potestatem habuit manifestandi: QUIA EGO (ipse testatur Christus *Ioan. XII.* 49.) EX ME IPSO NON SUM LOCUTUS; SED QUI MISIT ME PATER, IPSE MIHI MANDATUM DEDIT, QUID DICAM, ET QUID LOQUAR.

---

minis naturam, diei, atque horae professus est inscitiam. Plerique tamen Patrum, Christum diem illum ignorare dixisse putarunt, ut discipulos absterreret ab inquisitione rei tantae, ac tam arcanae, quemadmodum Chrysostomus *in Matth.* et Basilius *Epist. CXLI.* Sed non amplius in hac re morandum.

(60) Sic Augustinus *Lib. I. de Trinit. cap. XII.* Nec aliter sensit Basilius *Lib. IV. contr. Eunom.* Quam interpretationem et Beda in *Comment. in Matth.* amplectitur, et Alcuinus *Lib. II. de Trinit.*

Quamobrem secretum diem hunc, et in arcano Patris consilio positum, nescire se profitetur Christus, sive Filius, ut homo est, et quatenus legatus Patris, et interpres (61).

VI. Adducunt praeterea contra Christi Divinitatem Ariani ipsiusmet Christi Domini responsum ad Zebedaei Filios *Matt. XX.* SEDERE AUTEM AD DEXTERAM MEAM, VEL SINISTRAM, NON EST MEUM DARE VOBIS, SED QUIBUS PARATUM EST A PATRE MEO. Ex quo contendunt haeretici, Christum non illud posse, quod potest Pater. Sed quid hoc est per insaniam loqui? Non enim Christus id potestatis suae esse negat, sed negat se per gratiam indulgere posse, quod labore ac meritis comparandum est, quodque ipse cum Patre iis destinavit, qui pro meritis suis dignos se tanta praestant mercede. Ita sane adversus captiosos homines disputant Basilius *Lib. IV. contr. Eunom.* Epiphanius *Haeres. LXIX.* Cyrillus *Thesaur.*

(61) Huc facit, quod Sanctus Thomas advertit *Lib. IV. contr. Gent. cap. VIII.* frequenter in Scripturis Deum aliquid cognoscere dici, quum illud cognoscere facit, sicut habetur *Genes. XXII.* 12. NUNC COGNOVI, QUOD TIMEAS DOMINUM, *idest nunc cognoscere feci; Et sic per oppositum Filius nescire dicitur, quod non facit nos scire.*

Lib. XXVI. Caesarius *Dial. III.* Chrysostomus *Hom. LXV. in Matth.* et Hieronymus *Lib. II. contr. Iovinian.* qui postremus Christi verba tantumdem sonare scribit: *Frustra a me petitis, quod in vobis situm est; quod Pater meus illis paravit; qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem* (62).

VII. Eamdem praeterea Christi Divinitatem et Apostoli verbis armati impetebant Ariani: QUUM AUTEM SUBIECTA FUERINT ILLI OMNIA, TUNC ET IPSE FILIUS SUBIECTUS ERIT EI, QUI SUBIECIT SIBI OMNIA: UT SIT DEUS OMNIA IN OMNIBUS. Quam subiectionem Divinae Christi substantiae tribuentes, locum iterum iterumque opponebant, ut Cyrillus eum προβλημα αειτρυλλητον adpellet. Sed sive de Divina, sive de humana Christi natura accipiatur, non est de quo triumphum canant. Sane Hilarius *Lib. II. de Trinit.* de Christo, ut Deo, verba interpretaturus, non aliam Filii subiectionem agnoscit, quam sobolis ad auctorem, et principium comparatae. Et Cyrillus *Thesaur. Lib. XXIX.* non inferioris hanc esse dicit subie-

---

(62) Augustinus autem id Christum de humana natura dixisse putat *Lib. I. de Trinit. cap. XII. Non est humanae potestatis hoc dare, per quod et Deus aequalis est Patri.*

ctionem, sed eiusmodi, qualis in Genesi indicatur, quum Pater Filio dixit: *Faciamus hominem.* Quid quod Augustinus *Lib. III. cap. XVIII. contr. Maximin.* ex eo quod Filius Patri sit subiectus, minime consequi ait, dissimilem, aut inaequalem esse Filium Patri. *Hoc est omnino intolerabile, quia de obsequio Filii diversam vultis probare substantiam Patris et Filii. Obsequitur homo Patri, de quo natus est homo; tamen obsequendo esse non desinit homo.* Patres tamen frequentes verba isthaec de homine Christo accipiunt (63). Nam ut Augustinus ait *Lib. I. de Trinit. cap. I. Christus in quantum Deus est, cum illo nos subiectos habet, in quantum Sacerdos, nobiscum illi subiectus est.* Immo acute prorsus *cap. VIII.* caussam explicasse videtur, cur Apostolus expresse de Filii subiectione eo in loco meminerit; videlicet, *ne quis putaret habitum Christi, qui ex humana creatura susceptus est, conversum iri postea in ipsam Divinitatem.* Ut igitur Christum hominem etiam post resurre-

(63) Ita sane Athanasius *Lib. de hum. nat.* Hilarius *Lib. XI.* Augustinus *Lib. I. de Trinit.* Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVI.* Chrysostomus *Hom. XXXIX. in Matth.* Idatius *contr. Varimadum.* Ambrosius *Lib. V. de Fide cap. VI.*

ctionem fore non dubitemus, ac ne in eum errorem, qui Marcelli fuisse dicitur, incurramus, ideo subiectum et illum Patri nobiscum fore significavit.

VIII. Rursus et illo Christi effato pugnant subdoli homines *Ioan. V.* 19. NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM. QUAECUMQUE ENIM ILLE FECERIT, HAEC ET FILIUS SIMILITER FACIT; quo uti solent, non tantum ut Filii imbecillitatem doceant, quum nihil a se facere possit; verum etiam, ut diversae illum substantiae a Patre monstrent, quum utriusque diversa sit actio, et potestas. Sed levissimum est de quo tricantur, totamque argumentationem vel digiti crepitantis sonitum tu recte aestimes. Judaeis enim Christi opera calumniantibus, eoque potissimum, quod per Sabbatum sanitatem aegro ad piscinam sedenti restituisset, adprime Christus respondet, eademmet opera, quae ipsi reprehendebant, se simul cum Patre facere, propter unam eamdemque cum Patre operationem, et essentiam; adeoque non posse se reprehendi, quin et ipse Pater reprehenderetur. Quamobrem hostium telum adversus ipsos hostes retorquemus, si enim nihil a se facit Filius, quia per unitatem opera-

tionis, et potestatis nec Filius sine Patre facit, nec sine Filio Pater, quomodo quum una sit utriusque operatio et potestas, non una eademque erit utriusque natura (64)?

IX. Opponunt et alia Scripturarum testimonia, quibus Divinitatis propria quaedam soli Patri tribuuntur, veluti bonitas, veritas, immortalitas, a quorum communione excludi proinde videtur Filius. Huiusmodi est Marci illud *X.* 18. QUID ME DICIS BONUM? inquit Christus, NEMO BONUS NISI UNUS DEUS. De vero autem contendunt Joannis te-

(64) Non praeteream Sancti Thomae argumentationem *Lib. IV. contr. Gent. cap. VIII. Cum Deo non sit aliud agere, quam esse, nec sua actio sit aliud, quam sua essentia; ita dicitur quod Filius non possit a se agere, sed agat a Patre, sicut quod non potest a se esse, sed solum a Patre, si enim a se esset; iam Filius non esset.* Porro Christi verba antiqui Patres opportune ad essentiae, actionis, et voluntatis unitatem retulerunt. Vnde Ambrosius acute disputabat *Lib. II. de Spir. Sancto cap. XII. Quod enim unum per substantiae proprietatem non potest separari; et ideo non potest Filius facere, nisi quod audierit a Patre, quia in aeternum est permanens Dei Verbum, nec umquam Pater a Filii operatione dividitur; et quod operatur Filius, scit Patrem velle; et quod vult Pater Filium novit operari.*

stimonio instructi *XVII.* 3. UT COGNOSCANT TE SOLUM DEUM VERUM. Quoad immortalitatem demum Apostoli locum obiiciunt *ad Timoth. I. cap. VI.* 16. QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM. Sed quod ad primum pertinet, res per se clarissima est. Christus enim adolescentem arguit, qui quum non crederet ipsius Divinitatem, *bonum* tamen eum adpellabat, dicens: *Magister bone*, cui Christus adposite respondet: *nemo bonus, nisi solus Pater, qui est Deus*: quasi diceret: *aut ergo me Deum crede, aut nec bonum adpella, quia nemo bonus nisi solus Deus* (65). Quod vero solus Deus Pater dicatur verus, sapiens, immortalis, τo solus Filium non excludit, sed ad falsos segregandos Deos in Scripturis adhibetur (66), quod item dicendum de sapiente, et immortali.

---

(65) Ita namque Athanasius *Lib. de human. suscept. natur.* Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVI.* Nyssenus *Lib. X. contr. Eunom.* Hilarius *Lib. IX.* Ambrosius *Lib. II. de Fide.* Basilius *Lib. IV. contr. Eunom.* Cyrillus *Lib. X. Thesaur.* Augustinus *in Ps. CII. et Lib. contr. Serm. Arianor.* Itemque Gaudentius, Prosper, Facundus Hermianensis, aliique passim.

(66) Vocem *solum* hoc sensu hic accipi, ut removeantur ii qui veri Dii non sunt, ac proinde

SECTIO V.

Christi Divinitas ex Patrum Orientalium Ante-Nicaenorum traditione probatur.

I. Quod antehac contingerat Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno, Theodoto Coriario, Noeto, Sabellio, iisque omnibus, qui ab avita Catholicorum fide defecerunt, idipsum novatori, et turbulentae haeresis disseminatori Ario contigit, qui in ipso egressus sui initio,, communi omnium suffragio, ab Ecclesia, quae Christi Divinitatem adorat, eiectus est. Verum nihilo melior factus quum Divina humanaque subverteret adhuc, ad tantam dirimendam controversiam generale Concilium Nicaeae in Bithinia anno CCCXXV. coactum est, ubi trecenti decem et octo Patres, qui illuc ex toto orbe con-

---

nec Dii, locupletissimi auctores sunt Patres fere omnes, potissimum vero Basilius *Epist. CXLI.* et *Lib. IV. adv. Eunom.* Athanasius *Orat. IV.* Augustinus *Lib. I. de Trinit. cap. VI.* Et Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, aliique. Conferas quae supra in hunc locum adnotavimus *pag.* 47.

*

venerant, Arii impietatem, et blasphemias, quas ne audire quidem patenter sustinuerunt, uno ore damnarunt.

II. Miror hinc qui factum, ut ea quibusdam inhaeserit suspicio, Sanctos Patres, qui ante Nicaeni huius Concilii tempora floruerunt, non aliter de Trinitate sensisse, quam postea Arianos. Si res enim ita se habuisset, quibus impeti armis, quibus machinis expugnari tamdem potuissent Ariani, tragoedias agentes in universo orbe Christiano? An Scripturis? at Scripturis illi etiam confidebant, immo invitas in sua placita trahebant; An traditionibus? Sed quibus, si antiqui Patres diversam fidem habuissent? Tamen et Scripturis, et traditionibus tam late grassantem pestem Nicaeni Patres strenuo avverruncasse scimus, atque illas quidem ex unanimi maiorum consensione interpretabantur, harum vero praesidio unam semper, eamdem, et incorruptam fidem, saeculis omnibus, et regionibus terrarum ostentabant. Quod ut exploratum usque, et usque habeant omnes, ipsi nunc nobis Ante Nicaeni conveniendi sunt Patres, atque de sua singuli sententia in tam gravi negotio percontandi, audiendique.

III. Conveniamus itaque Graecos, in primis

autem S. Ignatium Martyrem, qui secundus fuit post S. Petrum Antiochenae Ecclesiae Episcopus. Insigne est ad testificandam Christi Deitatem eius Epistolae ad Smyrnaeos exordium: *Glorifico Iesum Christum Deum, qui vos sapientes fecit.* Scripsit et ad Ephesios Ignatius idem, ubi Ecclesiam eorum ait *electam esse in voluntate Patris, et Iesu Christi Dei nostri.* Et mox: *Vnus medicus est carnalis, et spiritalis, genitus, et ingenitus, in carne factus Deus, in immortali vita vera; ut ex Maria, et ex Deo, primo passibilis, et tunc impassibilis* (67). Quem locum contra Eutichianos Theodoretus urget, contra Arianos vero Athanasius, quibus sane persuasissimum erat, nec Ignatium, nec epistolas eius a sana de Christi Deitate doctrina deviare. Quo sensu autem Christum *αγεννητον* et *γεννητον* *genitum*, et *ingenitum* dixerit Ignatius, Athanasius idem exponit *Lib. de Synod. Genitum illum ob carnem appel-*

(67) Ignatii Epistolas ex Mss. bibliothecae Mediceae summa cura, et studio graece evulgavit Cl. Isaacus Vossius, latine vero Vsserius Armacanus ex duobus Mss. in Anglia repertis probatissimae notae. Haec vel ideo adnotasse praestat, nec interpolatas, et corruptas conferas, quales in Bibliotheca Patrum editae sunt.

lat, namque Christus caro factus est: Ingenitum vero, hoc est non factum, quoniam creatus non est.

IV. Ignatio S. Polycarpum addimus Smyrnae Episcopum, et Martyrem, cuius sanissimam doctrinam cum Ignatio, Irenaeo, Justino adversus Helvidium urget Hieronymus, *Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum Martyrem, multosque alios Apostolicos et eloquentes viros, qui adversus Ebionem, et Theodorum Bizantinum haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt?* Hic itaque in epistola ad Ecclesias Ponti scripta, quam habes in Historia Ecclesiastica Eusebii, atque in ipso exordio inquit: *Omnibus ubique terrarum Sanctae et Catholicae Ecclesiae populis misericordia, pax, et charitas Dei Patris, et Domini nostri Iesu Christi multiplicetur.* Sane non ita consociaretur Deo Patri creata quaevis substantia et persona. Quin instante Proconsule ut Christo conviciaretur, respondit: *Sex, et octoginta continuos annos ei ministravi, et quomodo possum impie loqui adversus Regem meum, auctoremque salutis meae?* Sane nec illa servitus merae

creaturae impendi, nec nisi uni Deo aeterna salus deberi potest (68).

V. Apostolicis viris Ignatio, et Polycarpo S. Justinus Martyr succenturiandus est, qui cum ipsis vixit, et saeculo II. martyrium passus est. Insignia is, et oppido egregia Divinitatis Christi documenta nobis praebet, tum alibi, tum vero disertissime in *Apolog. II.* cuius locum non sine piaculo silere possumus. *Iesus Christus unus et solus proprie Filius Deo genitus, qui nimirum ratio et Verbum eius, et primogenitus, et virtus est; atque de consilio, voluntateque eius, instaurandi, et restituendi humani generis caussa homo factus, nos ita docuit.* Quid his apertius, ubi unus, solus, Filius, proprie Filius, ex Deo genitus, Ratio, et Verbum Dei praedicatur Christus?

VI. Vt autem Patrum, qui tria priora saecula illustrarunt, compertissimam habeas Theologiam, eosque ab Ariana vesania longe alienissimos fuisse scias, audi quid post Ignatium, Polycarpum, Justinum, Athenagoras Christianus philosophus ex professo, et veluti in Theologica schola de Christi Divini-

(68) Legesis eiusdem Polycarpi Orationem, quam supra recitavimus *pag.* 59.

tate doceat: *Non est quod aliquis ridiculum putet, Deo Filium a me attribui. Non enim ut poetae fabulantur, qui nihilo meliores hominibus Deos suos faciunt, vel de Deo Patre, vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Verbum Patris, in idea, et efficacia. Ab ipso enim, et per ipsum facta sunt omnia, quum Pater, et Filius unum sint. Ita ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio, per unionem et potentiam Spiritus. Siquidem mens et Verbum Dei, Filius Dei est.*

VII. Theophilus hinc venit, sextus post S. Petrum Antiochenus Episcopus, qui primus omnium Trinitatis nomen usurpavit (69). Sic is in Christianae Religionis defensione ad Autolycum: *Deus igitur habens suum Sermonem in suis visceribus, genuit eum, quum eum produceret cum sua Sapientia ante haec universa. Hoc Sermone usus est in Mundi creatione; et omnia quae condidit, per ipsum fecit. Hoc principium dicitur, quia omnium est principium, dominaturque omnium,*

(69) Confer in hanc rem Theophili locum, quem supra adtulimus *pag.* 63. Non me latet, et nomen *Trinitatis* inveniri antehac in actis S. Andreae, sed an genuina isthaec sint, lis est inter eruditos, de qua consulendus Cl. Natalis Alexander *Hist. Eccles. saec. I. c. XII.*

quae per ipsum facta sunt: *Hic igitur existens Spiritus Dei, principium, et Sapientia, Altissimique potentia descendit in Prophetas.* Sane vel in ipso Nicaeno consessu quis disertius, vehementiusque adversus Arianos loquutus esset? I nunc, et dic, si tantum audes, Ante-Nicaenos Patres Arianis praelusisse.

VIII. Hac ipsa aetate Lugdunensem in Gallia Ecclesiam regebat S. Irenaeus natione Graecus, fidissimus S. Polycarpi discipulus. Hic *Lib. V. contr. Haeres. cap. XVII.* Christum fuisse Deum probat, quia peccata dimittebat, dimittere autem peccata nemo potest, nisi solus Deus, unde concludit fuisse eum Deum simul, et hominem: *ut quomodo homo compassus est nobis; tamquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra, quae factori nostro debemus Deo.* Sed porro in eadem Christi Divinitate adserenda multus est in suis scriptis Irenaeus. Et quidem *Lib. III. Vtrosque*, ait, *Dei appellatione significavit Spiritus Sanctus, et eum, qui ungitur Filium, et eum qui ungit, idest Patrem.* Et *Lib. IV.* quum obiter mentionem fecisset Danielis Deum verum adorantis: *Qui igitur*, inquit, *a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus; et Verbum eius, qui*

ctissimi apud Eusebium *Hist. Lib. V. cap. XXVII.* ubi Artemonem confutabat, a quo Christus quasi merus homo lacerabatur. Suffragatores enim, et commilitones sibi adversus hanc pestem adsciscit plurimos, Melitonem quoque: *Ac fortasse id, quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur, primum quidem Sacrae Scripturae, deinde fratrum quorumdam scripta, Victoris aetate antiquiora: quae illi adversus Gentes, et adversus sui temporis haereticos pro veritatis defensione scripserunt. Iustinum intellige, et Miltiadem, et Tatianum, et Clementem, aliosque complurimos, in quorum omnium libris Christi Divinitas astruitur. Nam Irenaei quidem, et Melitonis, et reliquorum scripta, quis ignorat, in quibus Christum Deum simul, atque hominem praedicarunt? Psalmi quoque, et cantica Fratrum iampridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.*

XI. Insignia quoque, et clarissima Divinitatis Christi documenta in suis libris sparsit Clemens Alexandrinus, qui Saeculum II. claudit. Christum enim millies Deum adpellat, et *Lib. I. Paedagogi cap. V. O magnum Deum! o perfectum Puerum! Filius*

in Patre, et Pater in Filio. Duplicem ibidem *cap. III.* in Christo distinguit naturam, Divinam, humanamque: *In omnibus prodest Dominus, et ut homo, et ut Deus, peccata quidem dimittens ut Deus; ne peccemus autem, instituens ut homo.* Sed clarius alias dixerat, Christum ante adsumptam carnem fuisse illum ipsum Deum qui Est, seu qui est ipsum Esse, et in eo qui Est, hoc est in Patre fuisse: *Apparuit autem nuper, qui prius erat Servator: Apparuit Qui Est, in eo Qui Est, quoniam Verbum, quod erat apud Deum, Doctor apparuit, per quem omnia sunt fabricata.* Et inferne: *Est enim Dei imago eius Verbum; et Filius mentis legitimus divinum illud Verbum, lucis lux archetypa .... Verbum Dominum, qui revera est Deus manifestissimus.* Haec ex Clemente decerpsisse satis sit, huiusmodi enim argumentis quaqua versus elaboratissima eius scatent scripta.

XII. His omnibus succensere nunc vellem Origenem, qui Clementis Alexandrini auditor fuit, nisi me terreret Hieronymus, qui in Epistola ad Pammachium, et Oceanum de sexcentis prope erroribus Origenem accusat, illamque perimit quorumdam causationem, damnari non posse Origenem, qui in

Nicaena Synodo damnatus non erat, quibus respondet: *De Ario tunc, non de Origene quaestio fuit; Quamquam latenter Origenem Patrem Arii percusserunt.* Liceat autem mihi saltem Athanasium hic producere, qui Origenem Arianis obiicit in *Epist. de Decret. Nicaen. Synod.* (71). *Verbum porro aeternaliter esse cum Patre, neque alterius essentiae, aut substantiae, Patrisque sui proprium Filium, ut sancitum est ab illis, qui Synodo interfuerunt; licebit denuo ex laborioso illo Origene audire. Quae enim disputandi, certandique gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita*

---

(71) Non aliunde haec tanta mihi videtur exorta inter Athanasium, et Hieronymum dissensio, in excusandis, vel laudandis Origenis operibus, quam ex ipsius secum Origenis conflictatione. Tam multa namque scripsit, tam multa peregregie, tam multa oscitanter, ut diversissima nequiverint non esse hominum de eo iudicia. Vnde Hieronymus in eadem Epistola ait; *Mille, et amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit. Innumerabiles praeterea commentarios, quos ipse appellat τομους. Quis nostrum potest tanta legere, quanta ille conscripsit? Interdum magnus dormitat Homerus. Verum opere in longo fas est obrepere somnum.*

sentiat, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt accipienda sunt. Haec igitur laboriosi illius Origenis sententia est: Si est inquit, ulla imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit; imo hoc quoque ausim addere, quod cum sit ille similitudo Patris, fieri non posse ut fuerit quando non fuerit. Quando enim Deus, qui secundum Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suae Maiestatis? ut quis audeat Filio principium adscribere, quasi antea nondum existenti? quando autem non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisque Patris substantiae Imago, Forma, Ratio, quae Patrem cognoscit? Cogitet secum quicumque audebit dicere, erat quando non erat Filius: se hoc ipsum dicere, erat quando Sapientia non erat, quando ratio non erat, quando vita non erat.

XIII. Post medium saeculum XIII. Dionysius Alexandrinus floruit. Hic (verbis utor Athanasii *Lib. de Synod.*) contra Sabellium scribens, et Salvatoris ministerium in carne pluribus verbis exponens, iisque convincens Sabellianos, refellensque Patrem non fuisse carnem factum, sed Verbum eius fuisse quod carnem induerat, quemadmodum a Ioanne dictum fuit; et in suspicionem raptus, quod

Filium creaturam nominasset, eumque factum esse, et non consubstantialem Patri dixisset: ad Dionysium Episcopum Romanum pro defensione criminis ita scribit, se non dixisse Filium esse factum, quem Patri consubstantialem confitebatur. Porro nihil hac Dionysii historia illustrius ad comprobandam antiquam traditionem, quae in duabus Principibus Ecclesiis Romana scilicet, et Alexandrina de vera Iesu Christi, ac consubstantiali Divinitate vigebat (72). Praeclarissimum autem,

---

(71) Dignissimus qui in hanc rem conferatur Magni Athanasii libellus singularis *De Dionysii sententia adversus Arianos*. Id primum Dionysianae fidei argumentum obtendit Athanasius, quod numquam ab aliis Episcopis de errore ullo convictus sit? *Magni certe argumenti est nihil eos veri dicere, et calumniis virum premere; quod ille numquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque haeresim propugnando ab Ecclesia secessit; sed in ea cum pietate obdormivit, quodque eius memoria hactenus cum Patribus huc usque celebrata est, et in catalogum relata; qui si cum istis eiusdem opinionis fuisset, aut si Scriptorum rationem non reddidisset, minime dubium, quin eadem, quae illi, passurus fuisset.* Mox ad Dionysii epistolam propius accedit, invicteque ostendit, nihil Dionysio commune fuisse cum Ario; immo in Arianos irruit, qui sibi de Dionysio

et oppido insignem Dionysianae huius epistolae locum iam supra recitavi *Cap. VII pag.* 128. quem omnino conferas.

XIV. Superest, ut de Gregorii Neocaesareae in Ponto Episcopi fide nonnihil dicamus. Sed celebris est illa fidei confessio, quam supra adtulimus *Cap. IV. pag.* 69., et qua nihil profecto expressius desiderari potest ad Iesu Christi Divinitatem confirmandam. Nisi quod piget, quod tantum monumentum in dubitationem revocare aude-

---

isto, quasi suffragatore suo blandiebantur, qui infensissimus illis reapse erat, qui consubstantialem Patri Filium adfirmabat. Verba hinc Dionysii, quibus Ariana haeresis nondum exorta praefocari videbatur, interserit Athanasius. *Numquam fuit Deum non esse Patrem. Semper Christum fuisse Verbum, et Sapientiam, et Virtutem. Neque enim cum haec antea non genuisset Deus, postea genuit* ȣ γαρ δη τȣτων αγονος ων ο θεος ειτα επαιδοποιησατο. *Sed neque a seipso Filius est; sed a Patre habet esse. Iam quia splendor est aeternae lucis, omnibus modis ipse quoque aeternus est. Luce enim semper existente, certum est, et splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse, quo splendeat, intelligitur, non enim fieri potest, ut lux non luceat.* Haec obiter de Dionysii fide dixisse satis; qui plura optat, adeat Natalem Alexandrum *Diss. XIX. in Saec. III.*

ant nonnulli novi Ariani, eo quod nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Sophronius eius meminerint. Sed silentio Eusebii opponimus S. Gregorii Nysseni auctoritatem, qui in vita Gregorii Neocaesariensis testatur, sua adhuc aetate huiusmodi fidei professionem in Neocaesariensi Ecclesia legi solitam. Opponimus Ruffinum, qui eius meminit *Lib. VII. Hist. Eccles. cap. XXVI.* opponimus et Synodum V. generalem. Eusebius autem nec alia memorat S. Gregorii opera, unde mirum non est, quod et de hoc siluerit. Silente autem Eusebio, tacuit et Hieronymus, qui unice sibi Eusebii historiam proposuerat, tacuit et Sophronius (73) qui nonnisi Hieronymum interpretatus est.

XV. Atque haec est Orientalium Patrum fides, qui ante Arianorum dissidia, ante Nicaeni Concilii tempora vitam egerant. Nimirum hinc videt quisquis quam merito desperarent Ariani ullum se patronum posse invenire inter antiquos Scriptores Ecclesiasticos.

---

(73) Sive quisquis Auctor fuerit Graeci *Catalogi Scriptor. Ecclesiast.* quem Sophronii nomine Erasmus edidit *Basileae anno* 1526. reclamante, et obstrepente Isaaco Vossio in Notis ad *Epist. V. Ignatii pag.* 357.

SECTIO VI.

Christi Divinitas ex Occidentalium Patrum Ante-Nicaenorum traditione probatur.

I. Constantissimae Graecorum Patrum de Christi Divinitate traditioni consonam Latinorum fidem subnectimus, atque Tertullianum ipsum inter primos producimus, ne quis cum Petavio Arianae haeresi eum iniuste putet praelusisse (74). Quid? vel uno Tertullianeo testimonio quidquid in ipso Nicaeno consensu definitum; quidquid a Graecis, Latinisque Patribus de consubstantialitate Filii dictum est, abunde confirmabo. *Sermo ergo et in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre: quia Ego et Pater unum sumus.*

(74) Celeberrimi huius Africani doctoris Apologiam multi multis pertexuerunt. Doletque fere omnibus, quod hic a Petavio *Lib. I. de Trinit. cap. V. num.* 5. *Arianam haeresim impietate, et absurditate superasse* dicatur.

Haec erit probola veritatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et Sol radium. Nam et istae species probolae sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, et radicis fruticem, et fontis fluvium, et Solis radium: quia omnis origo parens est: et omne, quod ex origine profertur, progenies est: multo magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit: nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a Sole discernitur, sicut nec a Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor duos dicere, Deum et Sermonem eius, Patrem et Filium ipsius. Nec et radix, et frutex duae res sunt, sed coniunctae. Et fons, et flumen duae species sunt, sed indivisae. Et Sol, et radius duae formae sunt, sed cohaerentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est, de quo prodit; non ideo tamen est separatum. Secundum autem ubi est, duo sunt: Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo, et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice. Et tertius a fonte, rivus ex

flumine. Et tertius a Sole, apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos, et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiae nihil obstrepit id, et οικονομιας statum protegit.

II. Millies praeterea Africanus doctor Christum Deum adpellat, et Deum de Deo, potissimum vero in Apologetico *cap. XXI.* et in *Lib. de Carne Christi cap. V.* quo loco duas in Christo naturas, divinam humanamque aperte distinguit, inquiens: *Itaque utriusque substantiae census hominem et Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carnem, inde spiritualem; hinc infirmum, inde praefortem; hinc morientem, inde viventem.* Quin et Christo non tantum Dei nomen tribuit, sed omnia Patris adtributa in *Lib. contr. Praxeam cap. XVII. Nomen Patris Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, qui est, quatenus ita Scripturae docent. Haec dicimus et in Filio competisse . . . . Omnia, inquit, Patris mea sunt. Cur non et nomina?* Ac deinceps aeternitatem, et immutabilitatem eidem vindicat, quae omnia ex iis descendunt, quae antea edixerat ibidem *cap. IV. Filium non aliunde deduco, quam de substantia Patris;*

Et *cap. XII. Ubique teneo unam substantiam in tribus cohaerentibus.*

III. Jam vero criminationum summa, quam adversus Tertullianum eius adcusatores obtendunt, in eo stat, quod contra Praxeam dixerit: *Pater tota substantia, Filius vero derivatio totius, et portio, sicut ipse profitetur: quia Pater maior me est.* Sed haec quando leges, ne uno verbulo eum putes tot tantaque labefactasse consubstantialis documenta superius relata. Patrem dixit esse totam substantiam, Filium autem portionem, non certe quasi substantia Patris, quae simplicissima, et indivisibilis est, secta sit in portiones. Quis enim suspicetur, homini doctissimo tam absurdam insedisse opinionem? *Portionem* utique dixit, sed eo vocabulo derivationem innuit, vel participationem, quam nos processionem nominamus, ut ipse suimet interpres est dum subdit: *Sic et Pater alius a Filio, dum Filio maior: dum alius qui generat, alius qui generatur: dum alius, qui mittit, alius qui mittitur: dum alius qui facit, alius per quem fit.* Ita sane constabit sibi scriptor iste clarissimus, alias turpissime, secum conflictabitur, et in eo maxime, quod toties ab eo inculcatum est, Deum esse id, quod sum-

mum magnum est, ut maius nihil esse possit, immo nihil aequale.

IV. Non minus luculenter de Christi Divinitate edisseruit Novatianus Presbyter, a quo grande volumen de Trinitate habemus, quod Hieronymus quasi επιτομην operis Tertulliani adpellat. Ex hoc unum omnium locupletissimum depromimus testimonium: *Tam Scriptura* (inquit *cap. XI.*) *etiam Deum adnunciat Christum, quam etiam hominem ipsum adnunciat Deum tam hominem descripsit Iesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed et hominis; nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit; ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit. Ut enim praescripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit; ita eadem natura praescribit, et Deum credendum esse, qui ex Deo sit: ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit: iam nec homo sit, licet ex homine fuerit; et in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur.*

V. Expressiora tamen, et splendidiora Deitatis Christi documenta nobis Sanctissimi Martyris Cypriani opera praebent. Scripsit is duos

testimoniorum ex Sacris Scripturis libros ad Quirinum; quorum in altero tam clare, valideque Christi Divinitas, aeternitas, aequalitasque cum Patre firmatur, ut nihil desiderari possit nobilius. Pauca inde decerpam: *Quod Deus Christus in Genesi ad Abraham. Et vocavit eum Angelus Domini de Caelo* . . . . *Quod Deus Christus in Genesi dixit ad Iacob: Fac illic altare Deo* . . . . *Item Baruch: Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque illo* . . . *Posthac in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et in *Ps. XLIV. Thronus tuus Deus in saecula saeculorum* . . . *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis super participes tuos* .. Et in *Ps. XLV. Vacate, et videte quoniam Ego sum Deus* . . . *In principio fuit Sermo, et erat apud Deum, et Deus erat Sermo* . . . *Thomas dixit illi Dominus meus, et Deus meus* . . . *Ego Dominus Deus, hoc nomen mihi est, claritatem meam alteri non dabo* . . . *Quod hoc futurum esset signum nativitatis eius, ut de Virgine nasceretur homo et Deus, hominis et Dei Filius* . . . *Quod homo et Deus Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos et Patrem posset.* De Cypriani igitur sententia non est cur ambigatur.

VI. Ad Lactantium nunc sermo noster convertitur, cuius doctrinam Tertullianeae adfinem criminantur. Vno at ego contentus ero testimonio, ut et Lactantii fidem adstruam, simulque et suspiciosorum hominum criminationes diluam. Haec ille nimirum *Lib. II. Institut. cap. XIX. Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio nuncupari; nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem: una utrique mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus: ille tamquam Sol, hic quasi radius a Sole porrectus, qui quoniam Summo Patri et fidelis et carus est, non separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a Sole; quia et aqua fontis in rivo est, et Solis lumen in radio: aeque neque vox ab ore seiungi, nec virtus, aut manus a corpore divelli potest.* Quaeso haec qui audiat, Lactantiumne putat loquentem, an potius Athanasium, vel Nazianzenum? Sane orthodoxa sunt, et plana, et expressa, et valida ad Filii Divinitatem, et cum Patre aequalitatem tuendam.

VII. Post Lactantium, testem Divinitatis

Christi producimus Arnobium seniorem, qui, Diocletiano Imperante, apud Africam Siccae Rhetoricam docuit, scripsitque adversus gentes volumina ponderosissima. Vide ut hic *Lib. I.* Christum profitetur maximum Deum, ut qui cultu, qui maximus excogitari potest, prosequendus sit: *Digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino, et quid cuique debeatur vel personae, vel capiti, inconfusis gradibus, atque auctoritatibus tribuo. Ita ergo Christus non habeatur a nobis Deus? nec qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, a quo jamdudum tanta et accepimus dona viventes; et expectamus, dies cum venerit, ampliora.* Et *Lib. II. Christus* (inquit Gentiles alloquens) *vobis invitis Deus, Deus, inquam Christus; hoc enim saepe dicendum est, ut infidelium dissiliat, et disrumpatur auditus.*

VIII. Addam et Zenonem Veronensem Episcopum testem, qui sub Gallieno passus pro Christo scribitur (75). *Igitur*, inquit, *ineffabilis illa, incomprehensibilisque Sapientia Sapientiam, Omnipotentia Omnipotentiam*

---

(75) Zenonis sermones Venetiis primo prodierunt *an. MDVIII.* Veronae vero *anno MDLXXXVI.*

propagat. De Deo nascitur Deus, de Ingenito Ingenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Et rursus: *Totum Pater, totum possidet Filius: unius est quod amborum est:* Et iterum *Filio cum Patre originalis perpetuique regni una possessio, coaeternitatis, omnipotentiaeque una substantia, una aequalitas; Si quid Filio detraxeris, ad Patris, cuius habet totum, injuriam pertinebit; nec est in illo aliquid, quod sit inferius, quia sicut Pater, nec plus potest habere nec minus;* Sane quid amplius, aut illustrius, vel quid magnificentius ad aeternam Filii generationem, Divinitatem, aequalitatem cum Patre, vel cogitari potuerit, vel dici, non video.

IX. Atque haec sunt, quae sentiebant, praedicabant, scribebant Patres trium priorum ante Nicaenam Synodum saeculorum. Jam nunc concludamus Athanasii verbis, quibus Arianos adloquitur in libro de Synodi Nicaenae decretis: *Ecce nos demonstramus, istiusmodi sententiam de Christi Divinitate a Patribus ad Patres, quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi Iudaei, et discipuli Caiphae, quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valetis? Imo ne unum quidem ex prudentibus, et corda-*

tis nominare possitis; cuncti enim vos aversantur, praeter unum diabolum, qui solus huius defectionis vobis auctor fuit.

Sectio VII.

De voce ομοουσιου *sive* consubstantialis, *quam veluti Catholicae fidei tesseram Nicaeni Patres statuerunt, disputatur.*

I. Christi Divinitate quaqua versus validissimis quibusque argumentis firmata, reliquum id modo videtur, ut de ομοουσιου *consubstantialis* vocabulo nonnihil dicamus, quo tamquam evaginato gladio nefandae Arianorum haeresis caput in Nicaeno consessu amputatum est. In primis autem illud animadvertendum, ομοουσιου nomen longe ante Nicaenorum Patrum aetatem ab insignibus Episcopis, et disertis Scriptoribus usurpatum, ut auctor est Eusebius Caesariensis apud Socratem *Hist. Eccles. Lib. I.* cui S. Athanasius adstipulatur in Libro de decretis Nicaenae Synodi, et in Apologia Dionysii Alexandrini adversus Arianos, ubi Dionysium Patriarcham Alexandrinum in epistola ad cognominem Dionysium

Romanum Pontificem testatur dixisse, Christum esse ὁμοουσιον τῳ θεῳ *consubstantialem Deo*, quodque Pontifex ab eo exigebat. Vnde consensus duarum Principum Ecclesiarum constat, Romanae scilicet, quae mater est, et magistra, et Alexandrinae, quae primum sane post Romanam obtinebat locum. Quid quod et Theognostum antiquum et eruditum Scriptorem testem Athanasius idem producit, quippe in secundo *Hypotyposeon* Filium dixit *non ex non extantibus, sed ex Patris substantia productum esse* (76).

II. Non inficior autem ὁμοουσιου vocem ab haeretico homine Paullo Samosateno usurpatam, atque ab Antiocheni Concilii Episcopis damnatam (77). Sed neminem ignorare arbi-

---

(76) Quamvis multa vetera Ecclesiastica monumenta desiderentur, de quorum iactura merito dolemus, offendimus tamen huiusmodi vocem apud Tertullianum, qui in *Lib. adversus Praxeam cap. II.* Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum *unius substantiae* esse dicit, quod tantumdem valet ac ὁμοουσιον. Eamdem praeterea vocem ab Origene usurpatam testantur Rufinus *Lib. de adulterat. libror. Origenis*, et Pamphilus in *Apolog. pro Origen.*

(77) Non omnino tamen constat, huiusmodi vocabulum in Antiocheno Concilio damnatum, im-

tror, non in eo sensu, quo in Nicaena Synodo accepta, et consecrata fuit, eam repu-

---

mo ut, quod sentio, ingenue dicam, inverisimile prorsus mihi videtur. Et I. certum est, ante decem plus minus annos Dionysium Alexandrinum apud Dionysium Romanum Pontificem accusatum, quod *Filium* non dixerat *Patri consubstantialem*, unde ut fidem suam purgaret *Filium Patri consubstantialem* confessus est, ut patet ex Athanasio in *Epist. De sent. Dionys.* et in *Decret. Syn. Nicaen.* qui perinde id saepius Arianis obiecerat. Anne igitur credas, rem hanc celebrem usque, et usque Patres Antiochenos ignorasse? Vel si non ignoraverint, credas tu Antiochenos Patres duabus Principibus Ecclesiis restitisse, eamque damnasse vocem, qua Christi Divinitas a Romana, et Alexandrina Ecclesia declarata fuerat? II. Ecquem non moverunt lapidem Ariani contra hanc vocem? Nullam tamen eius condemnationis mentionem fecerunt, quod certe non praetermisissent longe ponderosum argumentum. Nec porro, quod magis est, huiusmodi damnationis meminit Eusebius, qui Socrate teste *Lib. I. Hist. Eccles. cap. VIII.* diu multumque huic voci reluctatus est. Viderat hic Synodicam Concilii Antiocheni epistolam, cuius fragmentum nobis exhibuit *Lib. VII. Hist. Eccles. cap. XXX.* quomodo autem vocem oppugnaturus, damnationem non opponit? Quod si Athanasius, Hilarius, Basilius aperte dicant hanc vocem in Antiocheno Concilio damnatam fuisse, facile est, quod

diasse Sanctissimos illos Patres, sed ut ut Paullus Samosatenus prava interpretatione detorserat. Quam rem non est cur multis suadeam. Testem enim locupletissimum invoco S. Hilarium *Lib. de Synod. num. LXVIII.* a quo habetur, cum Sabellio sensisse Samosatenum, quippe Filium ita Patri consubstantialem praedicabat, ut nec Persona distingueretur, et Patrem, et Filium nonnisi duo esse eiusdem essentiae nomina.

III. Quae porro caussa fuerit, cur eam potissimum vocem sanxerint, et tamquam Orthodoxae fidei tesseram esse Nicaeni Patres voluerint, disertissimis verbis in eo, cuius saepe meminimus libro, Sanctus Athanasius docet. Quum enim in eo consessu Catholici Episcopi de certa quadam verborum formula

---

a Semiarianorum fraudibus decepti fuerint. Et quidem Athanasius Synodicam Antiochenorum PP. epistolam se non vidisse aperte testatur in *Lib. de synod. Quoniam (ut ipsi dicunt, nam Epistola penes me non fuit) qui Samosatensem damnarunt Episcopi, scripto tradidere Filium non esse consubstantialem Patri . . . Quod si epistolae, quam illos scripsisse dicunt, mihi copia fuisset, existimo plures me deprehensurum fuisse causas; cur beati illi ita scribere coacti sunt.* Idem de Hilario dicas, et de Basilio.

stabilienda meditarentur, qua veram fidei professionem conciperent, in primis quidem Filium esse *Deum de Deo* confessi sunt. Quam confessionem quum Ariani, Eusebio Nicomediensi monitore, non abhorruissent, vel ideo quod res omnes creatae perinde sunt a Deo; opportune Patribus illud addere visum est, *Filium esse potentiam, et imaginem Patris; eique per omnia similem, et immutabilem.* Verum quum neque huiusmodi confessioni subscribere detrectarint captiosi, et omnium perversissimi haeretici, ad tantam extinguendam pestem communi suffragio ὁμοουσίου vocem strenuissimi illi Patres antiquae fidei propugnatores receperunt, ut non solum Patri similis Filius, sed eiusdem omnino cum illo naturae, essentiae, ac subsantiae crederetur (78).

---

(78) Ridendus maxime heic Ioannes Clericus, qui nos hinc *Consubstantialistas* adpellat. Vtinam non ita desiperet iste! Ceterum iamdudum cusa huiusmodi nomenclatura; nam Ariani testibus Basilio *Epist. CCXXVI.* et Maximo *Dialog. I.* catholicos vocabant ὁμοουσιαστάς. Atque huc facit Augustini illud *Lib. contra Serm. Arianor. cap. XXI. Ecce qui nos quasi macula novi nominis vocant homousianos, nec seipsos, cum ita sentiunt, intuentur insanos.*

IV. Atque haec illa vocula fuit, quae adversariorum adprime petiit iugulum, et cuius ostentatione turbatus est cum suis gregalibus promus ille condus Arianae perfidiae Eusebius Nicomediensis, qui Ambrosio teste *Lib. III. de fide* in quadam epistola scripsit: *Si verum Dei Filium, et increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri.* Et quas hinc contra istam vocem non tragoedias excitarunt? *Vt serpens* (inquit Epiphanius *Haeres. LXIX.*) *bituminis odorem refugit, aut cervae halitum, aut lapidis suffitum, aut styracis suffitum; sic, Arius, et Sabellius illam veritate constantem consubstantialis professionem exosam habet.* Athanasius vero in *Lib. de Synod.* ομοουσιου vocem *columnam, vel cippum* adpellat, *in quo illorum impietas proscribitur, ac velut trophaeum de ea superata, prostrataque statuitur.*

V. Quamobrem nullum non movere lapidem, nullos neque impetus adversus hanc vocem facere conati sunt, quam vel excindere, vel ab usu Christianorum eripere uno, et altero futili argumento satagebant. In primis vero, quominus ομοουσιου nomen reciperent, Scripturas opponebant, in quibus nullum eius vestigium habebatur. Sed quis facile dixerit quantum acervum dictionum, quae nusquam

in Scripturis occurrunt, Arius accumulaverit? Quot impias, nefariasque non adhibuerint haeretici? Merito hinc inquiebat Hilarius in *Lib. contra Constantium Augustum Arianum*: *Vbi impietatis occasio patet, novitas admittitur, ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur.* Verumtamen, ut advertit Athanasius in eo, quem saepe memoravimus, libro de decretis Nycaenae Synodi, etsi totidem syllabis in Scriptura vox ista non compareat, eius tamen vis et sententia nonnisi in Scripturis reperitur. Nam Filium a Patre procedere, et eius unigenitum, ac verum propriumque esse Filium Sacrae Litterae testantur, quibus adprime του ομοȣσιου nomen exprimitur. Vnde Sanctus Gregorius Nazianzenus argumentabatur *Orat. XI. Si ita credendum est, cur non ita profitendum?* Quid quod Nycaeni Patres unicam hanc vocem, quasi divinitus inspiratam, adhibere coacti sunt, ut ad extremas incitas redigerentur Ariani, qui insignes simulandi, et dissimulandi artifices quaecumque alia vocabula in perversum sensum detorquebant. Cuius rei testem profero Athanasium: *Vocis istius exquisita ratio cum omnem ipsorum simulationem, siquidem illum dicant ex Deo esse, redarguit: tum omnes eorum argutias, qui-*

bus simplices circumveniunt, excludit. Sane quum omnia fucis, lenociniisque sophismatum adulterare, et immutare possint ad arbitrium, solam hanc dictionem, ut quae ipsorum convincit haeresim, reformidant; quam quidem Patres pro munimento, et arce contra omnia illorum impia commenta scriptam obiecerunt.

VI. Praeclusis igitur Arianorum cavillationibus, quum Deus sit ipsum quod est, ac Filius de eo sit ipso, quod Deus est, verusque Filius in Patre, et in eo Pater, ideo homousion *consubstantialem* Patri Filium cum Nycaenis Patribus fatemur. Quemadmodum ipse Dominus ait: *Ioan. XIV.* EGO IN PATRE, ET PATER IN ME. Et *Ioan X.* EGO ET PATER UNUM SUMUS. Et *Ioan. XVI.* EGO DE PATRE EXIVI. Et *ibid. XIV.* QUI ME VIDET, VIDET ET PATREM. Haec qui audit, nisi vel insanire, vel blasphemare velit, certe Filium non ετερουσιον *alienae substantiae*, sed omnino ομουσιον *consubstantialem* dicet. Porro quae contra Arium valet vox, qui Christum creaturam esse, et ex non extantibus prodiisse effutiebat; valet et contra Sabellium, Samosatenumque, qui sub una substantia unam personam intelligebant. Vt enim Basilius docet in *Epist. CCC. Non*

idem sibi ipsi consubstantiale est, sed alterum alteri. Proinde recte haec vox ac religiose admodum usurpatur, cum et hypostaseon proprietatem discernat, et naturae sine ulla diversitate communionem exprimat.

CAP. XIII.

DE SPIRITUS SANCTI DIVINITATE

I. Arianis superiori capite domitis, pugnam adversus Pneumatomachos integramus, qui Macedonio pseudo-episcopo Constantinopolitano duce, Spiritus Sancti Divinitatem impetere conantur. Hos ut facilius subigamus, non aliis pugnabimus armis, quam quibus eorum petulantiam strenuo fregerunt S. Athanasius, Didymus Alexandrinus, S. Basilius, S. Ambrosius, S. Ephrem Syrus, qui spissa, doctissimaque volumina adversus hanc haeresim scripserunt. Tripartito autem agmine eos adoriri opportunissimum erit, ut primo Spiritus Sancti Divinitatem ex iis Scripturae locis eruamus, in quibus Deus et Dominus aperte appellatur, tum ex iis characteribus, quibus proprie Divinitas consignatur, denique ex operibus, quae a Deo solo fieri possunt.

SECTIO I.

Spiritum Sanctum Deum esse, Patri aequalem et Filio, ex nominibus Dei, et Domini demonstratur.

I. Quum per Mosen, ac David, et Isaiam, et alios Prophetas Spiritus Sanctus loquutus esse referatur, Deum per ipsos loqnutum esse Divina profitentur oracula. David enimvero, quum dixisset *Reg. I.* 23. SPIRITUS DOMINI LOCUTUS EST PER ME; mox quis sit ille Spiritus declarans subdit: DIXIT DEUS ISRAEL MIHI LOCUTUS EST FORTIS ISRAEL, quo loco Spiritum Dei, Deum esse Israelis, apertissime vides. Eodem modo in *Epist. ad Hebr. I.* Deus loquutus esse *in prophetis* dicitur qui tamen Spiritus Sanctus fuisse perhibetur *Act. I.* OPORTET IMPLERI SCRIPTURAM, QUAM PRAEDIXIT SPIRITUS SANCTS PER OS DAVID DE IUDA. Quod autem *Isaiae VI.* Dominus Deus exercituum loquutus esse dicitur: VADE, ET DICES POPULO HUIC, AUDITE AUDIENTES, ET NOLITE INTELLIGERE, id Paullus Apostolus *Act. XXVIII.* 25. a Spiritu Sancto pronuntiatum adfirmat: QUIA BENE SPIRITUS SANCTUS LOCUTUS EST

PER ISAIAM PROPHETAM AD PATRES NOSTROS, DICENS, VADE AD POPULUM ISTUM, ET DIC AD EOS, AURE AUDIETIS, ET NON INTELLIGETIS (79).

II. De Judaeis praeterea in *Ps. CV.* dicitur, quod tentaverunt Deum *in inaquoso*; At Deus ille, quem Judaei in deserto tentarunt, ab eodem Apostolo Paullo Spiritus Sanctus vocatur in *Epist. ad Hebr. III.* 7. SICUT DICIT SPIRITUS SANCTUS, HODIE SI VOCEM EIUS AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA: Ex quo ad Spiritus Sancti Divinitatem adstruendam, argumentum longe nobilissimum Graeci conficiunt Patres. Porro idem Apostolus Dei opera ac beneficia numeraturus, ea promiscue Deo, ac Spiritui Sancto tribuit DIVISIONES (inquit *ad Corinth. I. XII.* 4.) GRATIARUM SUNT, IDEM AUTEM SPIRITUS cet. . . . DIVISIONES GRATIARUM SUNT, IDEM VERO DEUS, QUI OPERATUR OMNIA IN OMNIBUS. Iis autem

(79) In hunc modum argumentatur Gregorius Nyssenus *Lib. I. contr. Eunom.* Basilius *Lib. IV. contr. Eunom.* Idatius *ad Varim.* Cereal: *cap. LI.* Victor Vticensis in *Profess. fidei*, Cyrillus in *Excerpt. de Sp. S.* Paschasius *Lib. I. de Sp. Sanct: cap. VI.* Proclus *Orat. XVI.*

gratiis singulariter recensitis, ita demum concludit: HAEC AUTEM OMNIA OPERATUR UNUS, ATQUE IDEM SPIRITUS, DIVIDENS SINGULIS PROUT VULT.

III. At vero potissimum illud, et omnino invictum testimonium, quod plerique omnes antiquorum Patrum Macedonianis opponunt, habetur in *Actis Apostolor. V.* 3. quo loco Petrus Ananiam sacrae pecuniae depeculatorem obiurgaturus ait: ANANIA, CUR TENTAVIT SATANAS COR TUUM, MENTIRI TE SPIRITUI SANCTO ET FRAUDARE DE PRETIO AGRI? Mox autem cui mentitus sit, aperte declarat: NON ES MENTITUS HOMINIBUS, SED DEO; ubi Spiritus Sanctus luculentissimis verbis Deus dicitur. Nec minus insignis est Apostoli Paulli locus I. *ad Corinth.* in quo Fideles Templum Dei adpellat, mox vero templum Spiritus Sancti: NESCITIS QUIA TEMPLUM DEI ESTIS VOS? quodque inferius repetens ait: AN NESCITIS, QUONIAM MEMBRA VESTRA TEMPLUM SUNT SPIRITUS SANCTI?

IV. Sed ipsa quoque Spiritus nomenclatio Divinam adprime eius innuit maiestatem, quemadmodum praeclare Athanasius, Didymus, Epiphanius, et Augustinus argumentan-

tur. Quamvis enim (ita Epiphanius disputat) inficiandum non sit, quin et Angeli Spiritus dicantur, immo et hominis, et Prophetarum spiritus nominetur: ut tamen in Sacris Libris plures quidem vocantur vel adoptione, vel vocatione Filii, unus autem et singularis est veritate et natura Filius, ita e multis, qui Spiritus vocantur, unus est eximius, ac Divino celebratus honore Spiritus Sanctus. Atque hinc Sancti nomen illi, veluti peculiare, in Scripturis tribuitur: *Sanctus enim* (inquit Cyrillus *de Sp. S.*) *nominatus est, et Sanctus est Deus. Sic enim illum celebrant supernae virtutes, non ut habentes adventitiam sanctimoniam. Spiritus itaque Sanctus est secundum naturam, quasi ex Sancto, et in Sancto secundum naturam Deo.*

V. Quid quod, ut opportune advertit Athanasius in *Libro ad Serapionem*, Spiritus Sanctus nusquam fere in Scripturis Spiritus adpellatur, quin aut praemittantur, aut subsequantur verba, quae vocem illam Spiritus ad Deum referant. Vnde dicitur Spiritus Dei, Spiritus Christi, Mens Christi; Spiritus Domini, Dominus Spiritus, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, Spiritus sapientiae, prudentiae, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, timoris Dei. Quod vero Spiritus ve-

ritatis dicitur *Ioan. XIV.* 16. Graece est οτι το πνευμα εστιν η αληθεια *quoniam Spiritus est veritas*; unde absolute Spiritus veritas est, quod de se dixit Christus: EGO SUM VIA ET VERITAS. Atque demum neque illud omittam, quod Spiritus Sancti Divinitatem pariter evincit Paracleti nomen, potissimum si attendatur, quod Christus illum parem sibi, et aequalem nominet. *Joan. XIV.* 16. EGO ROGABO PATREM, ET ALIUM PARACLITUM DABIT VOBIS, quo loco vox *alius* comparationem includit, et illum eumdem prorsus, et aequalem esse Christo demonstrat.

SECTIO II.

Spiritus Sancti Divinitas ex characteribus demonstratur, qui in Scripturis eidem tribuuntur, quique soli Deo conveniunt.

I. Primus Divinitatis character, quo Spiritum Sanctum Deum esse intelligimus, in eo sane est, quod de Patre procedere dicitur, *Ioan. XV.* 26. CUM AUTEM VENERIT PARACLITUS, QUEM MITTAM VOBIS A PATRE, SPIRITUM VERITATIS, QUI

A PATRE PROCEDIT, ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME. Sicut enim creata dici nequit sapientia, quae ex ore Dei procedit: nec Verbum, quod eructatur ex corde: nec virtus, in qua est plenitudo maiestatis aeternae: ita etiam creatus non potest Spiritus aestimari, qui ex ore Dei funditur. Vnde egregie Paschasius *Lib. I. de Sp. S. cap. XII.* *Non dixit qui a Patre creatus est, sed qui a Patre procedit; id est de paternae societate potentiae, et de proprietate naturae.* Et omnino acute paucis intertextis: *Quia ergo Spiritus Sanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia Deitatis ostendit; id est; ut in persona sua subsistere, et sine ullo temporis spatio permanere, et omnino ex substantia Patris probetur existere.*

II. Alter Divinitatis character est; quod Christus baptizari, et fide initiari Christianos iusserit IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Ex quo triplex argumenti genus deducunt Patres (80) I. Quum

(80) Pneumatomachi tamen nonnulla Scripturarum loca opponebant, quibus creaturae Deo consociantur. Cuiusmodi est illud Apostoli *I. Timoth. V.* 21. *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, et electis Angelis.* Et *Exodi XIV.* 31. cre-

praecipit Dominus (verbis utor Faustini adversus Arianos) ut gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizentur, apertissimum est Spiritum Sanctum non esse creaturam, vel ex ipsa societate, quae illi una cum Patre, et Filio est: vel quod numquam praeciperet Dominus, ut in creaturae nomine aliquis baptizaretur. Multum enim Divinae potentiae derogaretur, si cum confessione Divini nominis, par quoque creaturae confessio poneretur. II. In Spiritum Sanctum nos credere profitemur, perinde ac in Patrem ac Filium; Baptismus enim est Fidei sacramentum, et Christianae professionis initium, et fundamentum. Porro Christiana fides in creaturam esse non potest, nec consentaneum est, illam in creatorem simul, et creaturam

---

diderunt Domino, *et Moysi servo eius*. Tum *Act. Apost. XV*. 21. *Visum est Spiritui Sancto*, *et nobis*. Sed cavillationibus opportune resistunt Athanasius *ad Serapion*. et Basilius *Lib. de Sp. Sanct. cap. XIII*. Quoad primum enim, patet Angelos ibi velut testes adduci; Spiritus Sanctus autem tamquam socius et collega Divinitatis adhibetur. In illo *Exodi* praeterea *servi* vox Mosen ab usurpandae Divinitatis suspicione arcet. Demum in illo *Act. Ap* Apostoli tamquam discipuli, et ministri se ea proferre testantur, quae a Doctore, et Magistro didicerant.

haberi. Vnde Didymus *Lib. II. de Sp. Sanc. Quis non ex ipsa cogetur veritate suscipere indifferentiam Sanctae Trinitatis, dum una sit fides in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, et lavacrum detur, ac firmetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* III. Spiritus Sanctus ita cum Patre, et Filio consociatur in baptismo, ut ad efficientiam gratiae ac regenerationis omnino illius consortium sit necessarium. Quod si Spiritus Sanctus creatura esset, eccur eius auxilium invocatur? an quod a solo Deo idipsum praestari non sufficeret? Vnde Idatius *contr. Varim. Si Spiritus Sanctus Deitatis substantia Patri et Filio non coaequatur, cur in Sacramento Baptismatis nihil absque illo completur?*

III. Tertius Divinitatis Spiritus Sancti character, ille est qui ex infinita illius scientia, et cognitione ducitur. Apostolus enim I. ad Corinthios scribens II. 10. ait. NOBIS AUTEM REVELAVIT DEUS PER SPIRITUM SANCTUM, SPIRITUS ENIM OMNIA SCRUTATUR, ETIAM PROFUNDA DEI. QUIS ENIM HOMINUM SCIT QUAE SUNT HOMINIS, NISI SPIRITUS HOMINIS, QUI IN IPSO EST? ITA ET QUAE DEI SUNT, NEMO COGNOVIT, NISI SPIRITUS DEI.

In quem locum ita diserte Ambrosius *Lib. I. de Sp. Sanct. cap. XXII. Nemo inferior superioris scrutatur arcana; Divinae enim solius est potestatis arcana novisse.* Vnde Christus ipse, ut se Patri aequalem probaret, hoc ipsum a scientia ductum usurpavit argumentum *Matth. XI.* 27. NEMO NOVIT FILIUM NISI PATER, NEQUE PATREM QUIS NOVIT NISI FILIUS. Nam quo pacto nosse Deum, eiusque profunda scrutari creata res potest? Quod si occulta hominis cognoscere Divinitatis est proprium, Paschasius inquit *Lib. II. de Sp. Sanct.* quanto magis scrutari profunda Dei summi in persona Spiritus Sancti, maiestatis insigne est? Athanasius vero ad Serapionem ex hoc ipso loco omnino fauces Pneumatomachis perstringit. Quemadmodum enim, ait, hominis spiritus, qui ea novit, quae hominis sunt, eiusdem cum homine substantiae est, non extraneus, ac peregrinus; sic Dei spiritus, qui ea quae Dei sunt cognoscendo penetrat, eiusdem cum Deo substantiae est, non ab eo alienus, non eo inferior.

IV. Postremo Spiritum Sanctum vere esse Deum ex gravitate peccati contra Spiritum Sanctum luculentissime constat. Scriptum est enim: *Omnia dimittentur filiis hominum pec-*

cata, et blasphemiae, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti. Quo loco Cyrillus *Lib. XXXIV. Thesaur.* observat perinde blasphemiam in Spiritum Sanctum aeterno supplicio puniri, ac blasphemiam in ipsum Deum, ut ex *Levitic. XXIV.* 17.

Sectio III.

Spiritus Sancti Divinitas ex iis operibus demonstratur, quae nisi Deus esset, efficere non posset.

I. Quorum una est operatio, una est et substantia. Quum autem Spiritus Sanctus ea operetur, quae Deus operatur, omnino ὁμοούσιος Patri et Filio dicendus, sive eiusdem cum Deo substantiae. Porro inter opera, quae Spiritui Sancto tribuuntur, iure sanctificatio eminet; unde Spiritus Sanctificationis dicitur ab Apostolo *ad Rom. I.* tum Spiritus adoptionis, et Spiritus gratiae *ad Hebr. II.* Ecquis autem sanctificare potest nisi Deus? *Largitio sanctificationis*, Paschasius inquit *Lib. I. de Sp. Sanct. munificentia solius est maiestatis.* Proinde argumentatur Ambrosius:

Non ergo potest sanctificatio, et corruptela unius esse naturae, et ideo non potest gratia Sancti Spiritus, et creatura unius esse substantiae. Atque huc facit *Sancti* nomen, quod Spiritui Sancto primario tribuitur, ex quo sanctitatem spiritui non adventitiam, sed propriam esse, et naturae adiunctam, diserte arguit Cyrillus *Dialog. VII. de Trin.* et Basilius *Lib. V. contr. Eunomium.*

II. Quod autem sanctificatio, tum et gratia, et iustitia velut Spiritus Sancti propria et peculiaris sit, adprime ex sanctis Libris constat. Hinc in *Epist. ad Rom. XV.* 16. VT FIAT OBLATIO GENTIUM ACCEPTA, SANCTIFICATA IN SPIRITU SANCTO. Et *I. ad Corinth. VI.* 11. ET HAEC QUIDEM FUISTIS, SED ABLUTI ESTIS, SED SANCTIFICATI ESTIS IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, ET IN SPIRITU DEI NOSTRI. Et *ad Titum III.* 5. SALVOS NOS FECIT PER LAVACRUM REGENERATIONIS, ET RENOVATIONIS SPIRITUS SANCTI.

III. Huc autem pertinet peccatorum remissio. Quum enim scriptum sit, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? necesse est Deum esse Spiritum Sanctum, a quo peccata remittuntur. Quod Ambrosius *Lib. III.*

de Spir. Sanct. cap. XIX. ex ipsis Domini verbis arguit *Ioan. III.* 5. ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS. Cyrillus vero *Lib. XXXIV. Thesaur.* Apostoli locum illustrans *II. Corinth. III.* 17. DOMINUS SPIRITUS EST, VBI AUTEM SPIRITUS IBI LIBERTAS: *Dignitas haec,* ait, *et potestas liberationis huiusmodi soli Deo adtribuitur: quod patet, quia nullus potest praeter Deum peccata dimittere.*

IV. Nec minoris roboris ad adseverandam Spiritus Sancti divinitatem illud est, quod ex pignore et signaculo Spiritus Sancti Patres ducunt, quo ungi et signari dicimur. Scribit enim Apostolus in *II. ad Corinth. cap. I.* 21. QUI UNXIT NOS, ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS IN CORDIBUS NOSTRIS: Et in *I. ad Ephes.* IN QUO ET CREDENTES SIGNATI ESTIS SPIRITU PROMISSIONIS SANCTO: QUI EST PIGNUS HEREDITATIS NOSTRAE. Si enim per obsignantem Spiritum forma Dei in nobis exprimitur, ambiguum certe non est, quin Deus ille sit, quo signamur, et ungimur. Hinc egregie Athanasius illud *Ioan. I. IV.* 13. explicans: IN HOC COGNOSCIMUS, QUONIAM IN EO MANEMUS, ET IPSE IN NOBIS, QUO-

NIAM DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS: ergo inquit: *Si ex praesentia Spiritus, qui nobiscum est, efficimur consortes Divinae naturae, insanierit profecto, si quis hoc dicat fieri per spiritum creatum, et non per spiritum Dei.*

V. Ne porro ab eadem sanctificationis vi recedamus, maximum iis, quae huc usque disputavimus, accedit pondus ex eo, quod per inhabitantem spiritum Dei in nobis templum Dei efficimur, et quod membra nostra templum sint Spiritus Sancti. Inquit enim Apostolus *I. ad Corinth. III.* 16. NESCITIS QUIA TEMPLUM DEI ESTIS, ET SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS. Et ibidem *Cap. VI.* 19. AN NESCITIS QUONIAM MEMBRA VESTRA TEMPLUM EST SPIRITUS SANCTI, QUI IN VOBIS EST; GLORIFICATE, ET PORTATE DEUM IN CORPORE VESTRO. Ex quibus acute quidem argumentatur Augustinus *Lib. I. contr. Maximinum: Si sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque Creaturae, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?* Et *Lib. III. cap. III. Spiritus Sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis habitat; sed corpus nostrum templum*

est Spiritus Sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis ergo est Deus, cui templum aedificatur, et a Deo, et de membris Dei?

VI. Alterum autem Divinitatis Spiritus Sancti luculentissimum argumentum est, quod is effundi, infundique passim in sacris Litteris dicatur. Hinc *Joelis II.* 28. EFFUNDAM DE SPIRITU SUPER OMNEM CARNEM. Et ad *Tit. Cap. III.* 8. SALVOS NOS FECIT PER LAVACRUM REGENERATIONIS SPIRITUS SANCTI, QUEM EFFUDIT IN NOS ABUNDE. Ipsum enim effusionis nomen increatam Spiritus Sancti substantiam adprime probat. Numquam enim Deus vel quum Angelum miserit, aut aliam creaturam, effundam dixit de An elo meo, aut principatu, aut throno, aut dominatione. Quod calculo suo confirmat Ambrosius *Lib. I. de Sp. Sanct. cap. VI. De qua creatura Deus ita loquutus est, quod aut dominationem, aut potestates effundat, aut Angelos?*

VII. Quum autem ita Divinus ille Spiritus infundatur, ut cordium intima penetret, quis non videt, id nonnisi unius Dei esse proprium? Quomodo enim spiritualis, ac rationabilis creatura cognatae sibi naturae valet umquam infundi? Solus Deus, simplex, purus

strat, qui in varias delati regiones, ut in Asiam, Scythiam, Europam, Africam, eumdem secum habebant Spiritum Sanctum. Qua ipsa ratione utitur etiam Ambrosius *Lib. I. de Sp. Sanct. cap. VII. Incircumscriptus, et infinitus est Spiritus Sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum divortia discreta regionum, remotosque fines totius orbis infundit, quem nihil potest praeterire, vel fallere.*

IX. Quid quod Spiritus Sanctus in Scripturis loqui per Prophetas, Apostolos mittere, constituere Episcopos, et gratiae munera, prout vult, distribuere dicitur, ea prorsus maiestate, et auctoritate, quae in creaturam omnino cadere nequit. Huiusmodi est illud *Act. I.* 16. ubi Petrus ait: OPORTET IMPLERI SCRIPTURAM, QUAM PRAEDIXIT SPIRITUS SANCTUS PER OS DAVID DE IUDA. Et ibidem *XIII.* 2. Dixit Spiritus Sanctus, SEGREGATE MIHI SAULUM ET BARNABAM IN OPUS AD QUOD ASSUMPSI EOS. Et subinde: IPSI QUIDEM MISSI A SPIRITU SANCTO ABIERUNT. Sic et *Act. XX.* ATTENDITE VOBIS, ET VNIVERSO GREGI; IN QUO VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI. Adhaec Apo-

stolus in *I. ad Corinth.* 12. Deum esse dicit, qui linguarum varietatem, prophetiam, et alia donorum genera largitur Ecclesiae, quem eumdem e vestigio adpellat Spiritum Sanctum, cuius divinam potestatem ut pressius indicaret, subdit: HAEC AUTEM OMNIA OPERATUR UNUS, ET IDEM SPIRITUS, DIVIDENS SINGULIS PROUT VULT.

X. Sed invictissimis hisce argumentis, quae ex Sanctorum Patrum penu huc usque adtulimus, colophonem imponat postremum id, et longe nobilissimum, quod Divina opera hactenus recensita, in ipso Christo Domino praestitisse Spiritum Sanctum, Scriptura doceat. Et quidem Christi incarnationem, nativitatemque Spiritum Sanctum habuisse auctorem, Angelus testatur apud *Lucam Cap. II* ubi ad Mariam ait: SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI. Et apud *Matth. cap. I.* QUOD IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST. Christus idem praeterea a Spiritu Sancto se missum probat *Luc. cap. IV.* Quem praedestinatum secundum Spiritum sanctificationis dicit Paullus *ad Rom. VIII.* 11. Et quid reliqua conradam testimonia?

SECTIO IV.

Scripturarum testimonia, quae contra Divinitatem Spiritus Sancti Macedoniani proferunt, illustrantur, et explicantur.

I. Quid haeretica fraus, et calliditas adversus sancta nostrae religionis dogmata non tentat? Ipsas Scripturas, Spiritu Sancto adflante dictatas, contra Spiritum Sanctum adducunt, et quod execrandum magis est, nihil quidquam veriti sunt Divinum iudicium *Marc. III.* QUI BLASPHEMAVERIT SPIRITUM SANCTUM, NON HABET REMISSIONEM IN AETERNUM, SED REUS ERIT AETERNI DELICTI. Videamus igitur quaenam potius blasphemi isti, et inexpiabili scelere obstricti adversus Spiritus Sancti Divinitatem adferunt argumenta.

II. Perditissimam Macedonianorum caussam adprime in ipso disputationis ingressu quisque deprehendet. Opponunt enim non esse Spiritum Sanctum Deum, quoniam nusquam in sacris Litteris aut Deus adpellatur, aut adorari iubetur. O miseros homines! an igi-

tur innumera illa, quae conglobavimus Scripturarum testimonia ad id evincendum non sufficiunt? Sufficerent utique, nisi temeritas eo perducta foret, ut Divina oracula, contra quam summo omnium veterum consensu explicata sunt, ad suas partes pertraherent. Sed cedamus temeritati; concedamus nihil expresse de Spiritus Sancti Divinitate in Scripturis haberi. Quid tum? Irruit super eos Basilius *Lib. de Sp. S. cap. XXIX. Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur; arbitror autem Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhaerere.* Et Nazianzenus *Orat. XXXVII. Vndenam tu voces illas tuas* αγενητον, et αναρχον *accepisti? nonne perspicuum est, ita ex iis Scripturae verbis colligi, quae nos ad illa deducunt, etsi non aperte dicantur? Quid igitur caussae est, ut litterae tantopere servias, Iudaicaeque sapientiae teipsum adiungas, et rebus omissis, syllabas consecteris?*

III. Quominus autem Spiritus Sanctus Deus esse credatur, urgent et id hostes, quod in plurimis Scripturae locis, ubi Patris et Filii fit mentio, nulla fiat Spiritus Sancti. Verum id quam inficetum sit, et insulsum, non est cur dicam; quotus enim quisque est, quem lateat, quum una, vel altera Persona

Divina in Scripturis exprimitur, etiam reliquas intelligi. Pulcherrimus est Dionysii Alexandrini hac de re locus, quem supra adtulimus; sed ut pressius respondeam, testatur Apostolus *ad Galath. III.* nos in Christo baptizari, et passim in *Act. Apost.* in nomine Domini Jesu. An propterea in solius Christi nomine baptizatos nos esse dicemus, et non in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quemadmodum mandaverat Christus? Vnde Apostolus quum baptizatos a Joanne interrogasset, an *Spiritum Sanctum accepissent*, respondentibus illis, *se neque si Spiritus Sanctus est audisse*, statim occurrit: IN QUO ERGO BAPTIZATI ESTIS? ut adpareat non in solo Christi nomine, sed etiam Spiritus sancti, baptismum illum administratum fuisse, etsi Christi tantum nomen ibi positum fuerit. Eodem modo testatur alibi Apostolus, omnes nos in uno spiritu esse baptizatos; an proinde excluditur Pater, et Filius?

IV. Nec negotii quidquam facessere illud videtur, quod de Spiritu Sancto inquit Christus *Ioan. XVI.* 13. QUUM AUTEM VENERIT ILLE SPIRITUS VERITATIS DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM: NON ENIM LOQUETUR A SEMETIPSO; SED

QUAECUMQUE AUDIET, LOQUETUR, ex quo Pneumatomachi arguebant, non Deum, sed Dei legatum esse Spiritum Sanctum, quippe non loqui a seipso dicitur, sed ea loqui quae audierit. Id autem quomodo intelligendum sit, egregie explicat Augustinus *Tract. XCIX. in Joan.* cui tota Patrum cohors consentit. *Non loquitur*, ait, *Spiritus Sanctus a semetipso, ut intelligamus non eum esse a semetipso.* Nam quia non habet a seipso essentiam, sed a Patre, et Filio; neque scientiam habet a seipso, sed a quibus procedit. Ita quum non loquatur Spiritus Sanctus, nisi ex eo quod scit; nihil autem sciat, nisi quod audivit a Patre, et Filio; nec sit audire aliud quam procedere; ideo Christus omnem veritatem annuntiaturum esse dixit Spiritum Sanctum, quod tam a se, quam a Patre procederet.

V. Stropham alteram non minus captiosam blasphemi homines canunt in illud Apostoli *I. ad Corinth. II.* 10. SPIRITUS OMNIA SCRUTATUR, ETIAM PROFUNDA DEI. Sic enim ratiocinando delirant: nemo dici potest scrutator eorum quae exploratissime novit, atque ab ipsomet decreta sunt, quum autem Spiritus Sanctus scrutari profunda Dei dicatur, certe non ad se illa pertinebunt: neque di-

cendus est ea ipse decrevisse, neque proinde Deus habendus. Levem futilemque argutiam quis non ridendo exsufflabit? Scriptum est enim de Deo *Ps. VII.* 10: SCRUTANS CORDA, ET RENES DEUS. An quia scrutatur, ideo nescit? Deus humani consilia pectoris perspecta penitus habet, neque ea scrutari opus est illi: sed humano more, et ad captum vulgi scripta sunt haec, cuiusmodi sexcenta loca nobis Sacrae Scripturae suppeditant. DESCENDAM, inquit Deus *Gen. XVIII.* 21. ET VIDEBO UTRUM CLAMOREM QUI VENIT AD ME, OPERE COMPLEVERINT: AN NON EST ITA UT SCIAM. Haec sane sunt scrutantis, et inquirentis, ac quodammodo nescientis Dei. Eodem modo et de Spiritu Sancto intelligas, quod omnia scrutetur, scrutari nimirum est perfecte nosse.

VI. Rursus proptervi haeretici illud Apostóli opponunt in *Epist. ad Rom. VIII.* 26. IPSE ENIM SPIRITUS POSTULAT PRO NOBIS GEMITIBUS INENARRABILIBUS. Gemitus autem, aiunt, et oratio, in Deum verum cadere non possunt. Sed mitto, quod Apostolicum id intelligi possit pro ipso dono spiritus, seu gratia orationis, qua docemur, quo pacto Deum orare debeamus, ut expli-

cant Chrysostomus, et Ambrosius. Nam ut egregie locum interpretatur Augustinus *Epist. XCVII. Spiritus interpellat pro nobis, quia interpellare nos facit; sicuti dictum est: tentat vos Dominus vester ut sciat, si diligatis eum, hoc est, ut scire vos faciat.* Eodem modo Christus *Matth. X.* 20. Apostolis inquiebat: NON ENIM VOS ESTIS, QUI LOQUIMINI, SED SPIRITUS PATRIS VESTRI, QUI LOQUITUR IN VOBIS, id est qui loqui vos facit, non enim Apostoli elingues erant, sed ea loquebantur, quae Spiritus Sanctus eis suggerebat.

VII. Vere tamen ineptire, vel ut potius dicam, insanire videntur, dum, sepositis Scripturis, par impar ludere incipiunt. Resistamus igitur parumper, eosque audiamus apud S. Athanasium *Epist. I. ad Serapionem*: » Si spiritus res creata non est, neque unus ex Angelis, sed ex Patre procedit, igitur Filius quoque ipse dicendus est, proindeque duo sunt Fratres, ipse scilicet, et Verbum. Quod si Frater est, qui fieri potest, ut unigenitum sit Verbum, vel ut aequales non sint, sed hic post Patrem, ille post Filium nominetur? Si item ex Patre est, cur non et ipse genitus, aut Filius esse, sed simpliciter Spiritus Sanctus dicitur? Denique si Filii

dicatur esse spiritus, Pater ergo avus est Spiritus Sancti ». *Hanc turpissimi homines cavillando effutiunt*, inquit S. Athanasius, *qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quae nemo novit, nisi spiritus Dei, de quo illi tam impie sentiunt; quibus nihil amplius respondere aequum sane esset; sed secundum Apostoli praeceptum post praedictam admonitionem, tamquam haeretici vitandi essent.* Haec Athanasius. Sed ne silentium importunis haereticis maioris fieret impudentiae occasio, subdit: *Vt numquam Pater desinet solus esse Pater, ita Filius numquam desinet esse solus Filius. Nemo igitur, nisi mente captus dixerit, vel cogitaverit, Fratrem esse Filio, et nomen avi Patri convenire. Hinc enim nusquam in Scripturis sacris Spiritus Filius dictus est, ne Frater esse existimaretur, uti nec Filius Filii, ne Pater avus crederetur. Sed Filius Patris est Filius, et Spiritus Patris spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis Divinitas, et fides est.*

VIII. Instant tamen acrius: si Spiritus Deus esset, aut ingenitus foret, aut genitus: si ingenitus est, Pater est; si genitus, Filius est: vel igitur duo Patres sunt, vel duo Filii, vel Spiritus Sanctus non est. Nescio

equidem verbane potius adhibere, an sonorum aliquid, ut tandem garrire desinant. Vno tamen et altero verbo cum Nazianzeno *Orat. XXXVII.* rem conficiam. Sic enim is Macedoniano cuidam responderat: *Inter ingenitum, et genitum tertius est Spiritus Sanctus, qui a Patre procedit* (81). Quumque ille molestius sciscitaretur, quid demum esset huiusmodi processio: *Dic tu*, respondet, *quid Patris ingenitura siet, et ego Filii generationem, et spiritus processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesania praecipites agamur, in Dei mysteria oculos iniicientes.*

SECTIO V.

Macedonianis traditionem quaerentibus Traditio opponitur.

I. Divinitatem Spiritus Sancti perpetua traditione a cunctis omnium saeculorum Patri-

---

(81) Vnde in professione Fidei, quam edere solebant Romani Pontifices expresse dicitur: *Credimus Spiritum Sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed de Patre, Filioque procedentem*: Confer Io: Carnet *Lib. Diurn. Rom. Pontific. Profess. III.*

bus fuisse praedicatam, nemo nisi in ipsa luce caecutire prorsus velit, inficiabitur. Hanc autem adversus Macedonianos explicare operae pretium foret, nisi abunde id supra a nobis actum esset, ubi Sabellianis Personarum distinctionem negantibus perpetuitatem opposuimus traditionis. Verumtamen ne quid heic pro absoluta argumenti tractatione desideretur, aliquam saltem veluti post vindemiam racemationem adferre fortasse importunum non erit.

II. Veritatis igitur testes primo S. Justinum proferimus, qui in *Apolog. I. Filium*, inquit, *et Spiritum propheticum colimus, et adoramus*. Cui succensendus Athenagoras in *Apolog. Ut Deum adserimus, et Filium ipsius Verbum, et Spiritum Sanctum*. Et mox: *quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, ita ut et unionis eorum vim, et ordinis distinctionem exponamus, impios, et sine Deo homines vocari?* Luculentissima sunt et Dionysii Alexandrini verba, quae adversus Paullum Samosatenum intendit: *Non impune feret is, qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est: Spiritus autem est Deus*. Alterum Dionysii testimonium S. Basilius profert *Lib. de Spir. Sanct. cap.*

XXIX. ubi Macedonianos ad hanc provocat traditionem: *Deo autem Patri, et Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu gloria, et imperium in saecula saeculorum.* Non minus insigne est Irenaei testimonium, quod Basilius idem producit *loc. cit. Ne expertes facti Divini Spiritus, frustremur Regno Caelorum, inclamat, Apostolus, quod caro non possit hereditatem capere Regni caelorum.*

III. Hanc ipsam Ecclesiae confessionem testatur praeterea Tertullianus adversus Praxeam *Cap. XIII. Duos*, inquit, *definimus Patrem, et Filium, et iam tres sunt cum Spiritu Sancto secundum rationem oeconomiae, quae facit numerum, duos tamen Deos et Dominos numquam ex ore nostro proferimus, non quasi non est Pater Deus; et Filius, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque*; quibus verbis non suam modo, sed totius Catholicae Ecclesiae fidem explicat.

IV. Quid autem senserit Origenes: disertissimis verbis testatur Basilius *ibid.*, quem fortasse audire non pigebit: » Origenem in multis Psalmorum expositionibus deprehendimus cum S. Spiritu gloriam deferentem Deo, virum, qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones: nihilominus et

hic multis in locis reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu; qui quidem in sexto, ni fallor, libro *Enarrationum* in Evangelium Joannis, etiam adorandum Spiritum evidenter pronuntiat: *Quoniam aquae lavacrum significat purgationem animae ab omnibus malitiae sordibus ablutae, nihilo tamen minus et per seipsum ei, qui seipsum praebet divinitati adorandae Trinitatis, per virtutem invocationum, donorum principium, ac fontem habet.* Et in *Coment. in Epist. ad Rom. Sacrae virtutes capaces sunt Vnigeniti, et Sancti Spiritus deitatis.* Ad hunc modum, opinor, traditionis vis saepe compulit homines, etiam suis ipsorum dogmatibus contradicere ».

V. Post Origenem testem producit Basilius Julium Africanum historicum, qui in *V. Epist. de temporib. Nos enim*, inquit, *gratias agimus Patri, qui in nobis suis creaturis praebuit universorum servatorem, ac Jesum Christum, cui gloria maiestatis cum Sancto Spiritu in saecula.* Quod autem ad S. Hilarium spectat, quem urget et sollicitat Erasmus (82), nihil certe hoc dogmate di-

(82) Nimirum contendit Erasmus in *praefat.* ad Hilarii opera, Hilarium in XII. libris *de Trini-*

sertius ab eo traditum cum alibi passim, tum in *Commentar. in Matth.* ubi baptismi formam explicans: *His nos*, inquit, *verbis initiandos; ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis, unus est Deus.* Eamdem fidem disertissime explicavit S. Basilius *Ep. CXLI. Confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, uti eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt* (83).

VI. Communem denique et vetustissimam Ecclesiae traditionem et fidem abunde confirmat antiquissimus ille glorificationis hymnus

---

tate numquam Spiritum Sanctum Dei nomine adpellasse. Quamobrem merito castigatur a PP. Benedictinis Congreg. S. Mauri in *Praefat.* ad eosdem Hilarii libros *num. XIV. et seq.*

(83) Spiritum Sanctum Patri consubstantialem esse, invictissimis argumentis adversus Macedonianos in aliis etiam suis operibus S. Basilius evicit. Quo autem consilio Dei nomen suppresserit, docet Nazianzenus in *Homil. XX.* ut Haereticos nimirum ad unitatem Ecclesiae facilius alliceret, tum ab ipso Spiritu, tum ab aliis propugnatoribus gratiam rogans, ne hoc suo consilio offenderentur; ipsos enim nihil ex eo incommodi, aut detrimenti accepturos, si dictiones paululum immutentur, modo eadem aliis verbis doceantur; neque enim salutem nostram in sermone magis, quam in rebus

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, cuius usum a primis Christianae religionis temporibus obtinuisse probat S. Basilius *Lib. de Spir. Sanct. cap. XXIX.* quod multorum Patrum auctoritate evincit, in primis vero Clementis Romani, Athenagorae, Irenaei, amborum Dionysiorum, Origenis, Africani Historici, et Gregorii Neocaesariensis. Addit Basilius et preces Lucernarias, quas nimirum antiqui Fideles una collecti ad lucernas fundere consueverant, et in quibus antiquam vocem proferebant: *Laudamus Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum.*

VII. Obganniunt tamen Macedoniani, quod quum Ariani non tantum Filii, sed Sancti Spiritus etiam Divinitatem negaverint, nulla umquam ab Nicaeni Concilii Patribus Divinitatis Spiritus Sancti facta sit mentio. Sed cuius pretii sit huiusmodi argutatio, prorsus non video. Basilius quidem Epiphanius, Nazianzenus, Hieronymus, vel ideo nihil in Concilio Nicaeno fuisse expresse de Spiritu

---

consistere, quamquam in aliis privatis, publicisque colloquiis Spiritum Sanctum expresse Deum a Basilio adpellatum esse tradat. Atque hinc est, quod in Ecclesia Occidentali, ubi minor erat haereticorum furor, nemo dubitarit Spiritum Sanctum constantissime Deum vocare.

Sancto definitum fatentur, quod de eo tunc quaestio mota non erat, sed tantum de Filio. Postquam autem ex Ariano semine Macedoniana eruperit blasphemia, statim Ecclesiae fidem adparuisse nemo quantumvis pertinax inficiabitur. Nam qui ipsi Nicaeni Patres Arium condemnarunt, mox quasi agmine facto contra Macedonium arma converterunt. Verumtamen, quid si Spiritus Sancti Divinitas in ipso Concilio Nicaeno adserta fuerit et vindicata? Testem advoco incorruptissimae fidei S. Athanasium, qui in Epistola synodica ad Jovinianum Imperatorem, haec inquit de Patribus Nicaenis: *Sed neque Spiritum Sanctum a Patre, et Filio separarunt, quin potius eum una cum Patre, et Filio glorificarunt in una Sanctae Trinitatis fide, eo quod una sit in Sancta Trinitate Divinitas* (84). Quod si et alterum testem desiderant, habent S. Damasum in Epistola synodica ad Episcopos Illyrici, ubi ait a Patribus Nicaenis definitum: ut Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum unius Deitatis, unius virtutis, unius figurae, unius credere oporteret substantiae (85).

---

(84) Confer Athanasii *Epist.* apud Theodoretum *Lib. IV. Hist. Eccles. cap. III.*

(85) Apud Theodoretum *Lib. II. Hist. Eccles. cap. XXII.*

VIII. Vsquequo autem effrenis Macedonianorum devenerit impudentia, vel ex eo patet, quod ipsum Constantinopolitanum Concilium adversus Macedonium, eiusque gregales coactum, nobis opponant, siquidem aiunt, Spiritum Sanctum non Deum, sed Dominum dumtaxat ab illis Patribus adpellatum: Sed qua facie? Sane Constantinopolitana Synodus id Nicaenae addendum decrevit: *Credimus et Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per prophetas.* Quis autem cum Patre et Filio adorari, et conglorificari simul potest, nisi Deus? Item in Epistola synodica iidem Patres se credere aperte profitentur *unam deitatem, et potentiam, ac substantiam Patris, Filiique, et Spiritus Sancti, aequalem item dignitatem, et coaeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis Personis.* Etiam S. Damasus in sua Epistola synodica scribit: *Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum de Patre esse vere, et proprie, sicut Filius de Divina substantia, et Deum verum, anathema sit.*

CAP. XIV.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

I. Quam Graeci ἐκπόρευσιν, ἔξοδον, προβολὴν Divinarum Personarum, hanc Latini *processionem*, *exitum*, *prolationem* dixerunt. Est autem processio *origo unius ab alio*, atque duplex distinguitur, altera *ad extra*, quum nempe effectus extra caussam est, a qua procedit, ut creaturae a Deo, et nati a parentibus procedunt; altera *ad intra*, quum aliquid ab alio manat, intra ipsum manens, cuiusmodi sunt Divinarum Personarum processiones.

II. Cavendi autem nobis hac in re sunt Sabelliani, et Neograeci. Illi quidem processiones ad intra omnino aversabantur, nec nisi processiones ad extra dumtaxat admittebant, ut tria in uno Deo nomina explicarent, Patrem ad opificium universitatis, Filium ad humani generis reparationem, Spiritum Sanctum ad hominum sanctificationem, tres vero Personas excluderent, quae sine interna origine concipi nequeunt. Neograeci autem, duce et auspice Photio, Spiritum a Patre,

non a Filio procedentem contendentes, diuturni inter Latinam et Graecam Ecclesiam schismatis fundamenta posuerunt.

III. Jam vero Divinas processiones ad intra omnino admittendas, Sacrae Litterae adprime suadent, evincuntque. Vt enim innumera alia testimonia praeteream Christus de seipso inquit *Ioan VII.* 29; AB IPSO (Patre) SUM, ET IPSE ME MISIT. Et ibidem *VIII.* 42. EGO EX PATRE PROCESSI. Item *XVI.* 26. PATER AMAT VOS, QUIA VOS ME AMASTIS, ET CREDIDISTIS QUIA EGO A DEO EXIVI: EXIVI A PATRE, ET VENI IN MUNDUM. Atque per hanc processionem Christus dicitur *Filius*, et *Verbum*. Filius quidem, quia a Patre per veram generationem procedit, adeoque natura Filius Dei est, non vero gratia, et adoptione. *Verbum Dei* dicitur autem, similitudine sumpta a verbo interno, quod mente cogitando proferimus; eo tamen discrimine, quod verbum nostrum nonnisi accidens est, nec menti coaevum, quum non semper in eadem fuerit, nec semper in ea permaneat; Verbum autem Dei Persona est subsistens, et Patri coaeterna, secundum illud Joannis: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS

ERAT VERBUM. De Spiritus Sancti autem processione luculentissimum habemus testimonium ab ipsa veritate Domino Christo *Ioan XV.* 26. MITTAM VOBIS A PATRE SPIRITUM VERITATIS, QUI A PATRE PROCEDIT . . . ILLE ME CLARIFICABIT, QUIA DE MEO ACCIPIET. Nec porro a Patre solum, sed etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere Catholica Fides docet, quod adversus Graecos Schismaticos adcurate demonstrandum.

CAP. XV.

SPIRITUM SANCTUM A PATRE, ET FILIO PROCEDERE ADVERSUS GRAECOS PROBATUR.

I. Vetus est Graecorum adversus Latinos querela, quod Spiritum Sanctum a Patre simul, et a Filio procedere doceant. Res saepius iterumque agitata, ac in quaestionem adducta, in apertam tandem haeresim erupit, Photio spadone classicum canente, qui Sancto Ignatio de sede Constantinopolitana turbato, in eius locum per vim, et ambitionem intrusus est an. Ch. DCCCLVIII. Quum

enim ab Apostolicae Ecclesiae communione infando schismate defecissent Graeci, inter cetera, quae vehementius Latinis obiecere, ausi sunt eos de processione Spiritus Sancti reos peragere, quod ab avita fide defecissent, quam a solo Patre procedentem Spiritum docere mentiebantur. Atque exinde Graecorum gens universa in insanam illam conspiravit opinionem Spiritum Sanctum a Patre tantum procedere, quam veluti publicam tesseram habuit, qua a Latinis discerneretur. Ad huiusmodi igitur refutandam calumniam, universa nobis excutienda est Graecae Latinaeque Ecclesiae antiquitas. Quod enim apud multos invenitur, non est erratum, sed traditum, quemadmodum Tertullianus inquit *Lib. de praescriptionibus.* Vt autem modum aliquem nostra haec habeat oratio, Patrum testimonia, quibus Graecorum impetus, atque audacia strenuo comprimitur, ad certa capita revocare adnitemur, quae partim Scripturis, partim catholica confessione firmata, totidem erunt contra Graecorum perfidiam argumenta.

II. Atque primum argumentum Christus Dominus praebet *Ioan. XVI.* 13. ubi de Spiritu Sancto inquit: NON LOQUETUR A SEMETIPSO; SED QUAECUMQUE AU-

DIET, LOQUETUR, ET QUAE VENTURA SUNT, ANNUNCIABIT VOBIS; ILLE ME CLARIFICABIT, QUIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNUNCIABIT VOBIS. OMNIA QUAECUMQUE HABET PATER, MEA SUNT; PROPTEREA DIXI, QUIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNUNCIABIT VOBIS. Quem locum disertissime illustrat Epiphanius in *Ancorat. Jam vero cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo; et Spiritus ex Christo, sive ab ambobus: ut Christus his verbis adserit: qui a Patre procedit, et hic de meo accipiet.* Et mox: *Igitur si a Patre procedit, et de meo, ut ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater; ita dicere audeo; neque Spiritum, nisi Pater, et Filius a quo procedit, et a quo accipit: et neque Filium ac Patrem, nisi Spiritus Sanctus; qui vero glorificat, qui docet omnia, qui testatur de Filio, qui a Patre, et ex Filio.* His consonat Didymus *Lib. II. de Spir. Sanct. Non enim loquetur a semetipso, quia non ex se est, sed ex Patre, et ex me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, et loquitur, a Patre, et me illi est.* Quibus nemo certe disertius, vel ex ipsis Latinis Patribus loquutus est.

III. Alterum argumentum invictissime a Graecis Patribus in hunc modum conflatur: Quemadmodum ex eo quod Filius proprius Patris, eiusque substantiae dicitur, ex eodem oriri consequitur, ita et Spiritus Sanctus ex eo quod ex Filii substantia procedere, et substantiae Filii proprius esse dicitur, immo Filii Spiritus, originem a Filio ducere credendus est. Disertissime omnium eo in argumento versatus est Cyrillus in decimo Commentariorum in *Ioan.* *Non alienus*, inquit, *ab unigeniti substantia Sp. Sanctus intelligitur, procedit vero naturaliter ex ipsa, propterea addidit, quae ventura sunt nunciabit vobis.* Et mox: *Credere namque debemus, quoniam Spiritus sic proprius Filii est, sicut sane ipsius quoque Dei Patris* . . . Porro autem Cyrillus idem in epistola synodica ad Nestorium, quae in Concilio Ephesino probata fuit. atque in sequioribus Conciliis confirmata, ita nomine totius provinciae AEgypti de Spiritu Sancto loquitur: *Non est tamen a Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, et proinde ab illo quoque, atque a Deo Patre procedit.* Hoc eodem utitur argumento Athanasius ad Serapionem: *Quod si Filius; quoniam ex Deo est, proprius est substan-*

tiae ipsius, *necesse est et Spiritum*, *qui ex Deo dicitur*, *proprium esse Filii secundum substantiam*. Neque alia ratione fieri potuisse ostendit Anselmus *Lib. de Spir. Sanct. processione cap. XIII.* ut Spiritus Filii proprius diceretur, secus vero Filius proprius Spiritus Sancti, quam quod a Filio procedat Spiritus Sanctus, non autem a Spiritu Filius.

IV. Tertium a consubstantialitate argumentum intendit Basilius *Epist. CCC.* ubi docet ea proprie vocari ομοουσια, quum unum ab altero est tamquam a principio: *Non enim*, ait, *quae fraternam cognationem habent invicem*, *consubstantialia inter se dicuntur*: *ut quidam existimant*: *sed tunc quum principium*, *et quod est a principio*, *eiusdem naturae sunt*, *consubstantialia nominantur*. Vnde in *Hom. contra Sabellianos*, *et Arium* docet, Filium ideo ομοουσιον Patri esse, quod ex eius substantia prodierit: *substantiae porro identitas ideo inest*, *quoniam Filius non iussione factus est*, *sed natura genitus*. Quamobrem cum Spiritus Sanctus consubstantialis Filio dicatur a Patribus, sequitur inter eos rationem intercedere του αιτιου, και αιτιατου, ut Graeci loquuntur, ac proinde Spiritum Sanctum a Filio, velut a principio proficisci. Ex iis autem qui Spiritum Sanctum ομου-

σιον esse Filio diserte asserunt, unus omnium Graecorum Patrum instar esse potest Cyrillus *Lib. XI. in Joan. Quoniam Spiritus Sanctus consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ipsius in omnibus perfectissimam habens efficientiam, et virtutem; ideo dicit*: DE MEO ACCIPIET.

V. Quartum argumentum innumeris Graecorum Patrum auctoritatibus firmatur, qui Filium docent, fontem esse Spiritus Sancti, et hunc ab illo scaturire, profundi, profluere, ac prodire, quae omnia vocabula substantialem emanationem significant, ac processionem eiusmodi, qua Persona subsistentiam accipit. Athanasius in primis *Lib. de Hum. nat. suscept.* ex *Ps. XXXV.* 10. *Quoniam apud te est fons vitae*, sic argumentatur: *Noverat enim David apud Patrem Filium esse fontem Spiritus Sancti.* Chrysostomus etiam Hieremiae illud explicans *II.* DUO MALA FECIT POPULUS MEUS: ME DERELIQUERUNT FONTEM AQUAE VIVAE cet. *Vides*, inquit, *fontem aquae Deum, aquam autem vivam Spiritum Sanctum. Fons aquae vivae Pater est: flumen ex fonte procedens Filius, aqua fluminis Spiritus Sanctus.* Nec abludit loquendi genus a Cyrillo usurpatum, quo Spiritum Sanctum προχεισθαι *profundi*,

προιεναι *prodire*, αναβλυζειν *erumpere* a Filio ait, cum in *Epist. ad Nestorium*, tum in *II. Commentarior. in Ioan.* et in *Thesauror. Secundo*: Quod eo magis Graecos vexat, quod ad Filii originem ex Patre declarandam eadem ab iisdem Patribus verborum forma adhibetur, ut quum fontem Filii Patrem adpellat Athanasius *Orat. I. contr. Arian.* atque ipsius Spiritus Sancti fontem Chrysostomus vocat Patrem *Homil. de Sp. Sanct.* quo originem Spiritus a Patre procedentis expressam esse, Graeci diffiteri non possunt.

VI. Alterum argumentum ex eo a Graecis Patribus conficitur, quod Spiritus Sanctus Filii ενεργεια *operatio* dicitur, eodem modo quo Filius Patris. Dissertissime id Cyrillus docet, qui quum in *I. Thesaurorum* dixisset: *Filius est viva, et substantialis operatio, et virtus, et sapientia Patris*: mox in *II. Thesaur.* de Spiritu Sancto inquit: *manifeste ostenditur non alienus esse a Filio Spiritus Sanctus; sed in ipso, et ex ipso, ac velut operatio quaedam naturalis, quae complere potest omnia, quaecumque vult.* Huc pertinet, quod Graeci Patres Filium passim dicunt os Patris, Spiritum Sanctum vero *Spiritum oris Filii*, ut Basilius *Lib. de Spir.*

Sanct. cui Anastasius consonat apud Manuelem Calecam: *Spiritus Sanctus, oris Dei spiritus vocatur: os enim Patris est Filius.* Quod invicte Anselmus contra Graecos urget in Spiritus Sancti processione vindicanda a Patre et Filio. Accedit quod Athanasius in *Epist. ad Serapion.* quum dixisset, Spiritum Sanctum esse unguentum, et sigillum, quo creaturae unguntur, ac signantur, ex eo concludit nequaquam illum inter creaturas esse censendum: *quia quod ungit, non est eius simile, quod ungitur. Etenim unguentum illud, flatus est Filii: adeo ut qui Spiritum habet, dicat: Christi bonus odor sumus.* Quare ut halitus ex ore prodit, sic e Filio Spiritus Sanctus.

VII. Sextum argumentum ex eo derivatur, quod Graeci Theologi Spiritum Sanctum imaginem Filii adpellant, perinde ac Filium imaginem Patris. Basilius enim *Lib. V. adv. Eunom. Imago quidem*, ait, *Dei Christus, imago vero Filii Spiritus, et qui huius sunt participes, Filii conformes fiunt; sicut scriptum est: quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Idem inculcat Cyrillus Alexandrinus *Lib. X. Comment. in Ioan.* Et Joan. Damascenus in *1. de Fid. Orthod.* Ex eo autem concludunt, Spiritum

Sanctum Filii imaginem a Filio procedere, quemadmodum Filius imago Patris a Patre est. Revera Basilius in *Hom. contr. Sabellianos*, *Arium*, *et Anom.* quid sit in Filio imaginem esse explicans, tantumdem ait valere, quam *splendorem a luce manantem.* Vt igitur splendor a luce oritur, sic imago originem ab eo accipit, cuius imago dicitur. Omnino enim ad imaginis rationem necesse est, ut originem habeat a prototypo; alioquin non magis unum imago erit alterius, quam hoc illius.

VIII. Atque hactenus solis Graecis Patribus contenti fuimus, ut domesticorum testimoniorum fidem, et auctoritatem Graeci repudiare erubescerent. Latinis autem supersedendum puto, quos ipsi Neo-graeci sibi infestos fatentur. Nisi quod omnium instar S. Hilarium producere libet, qui diu in Ecclesia Orientali commoratus est. Is *Lib. II. de Trinit. cap. IV. Spiritus Sanctus*, inquit, *de Patre et Filio auctoribus confitendus est.* Quid vero commemorem Ambrosium, Augustinum, Fulgentium, Leonem, Gregorium Magnum, aliosque sexcentos? Sane autem Catholica veritas et in duobus Oecumenicis Conciliis Lugdunensi II. sub Gregorio X. et Florentino sub Eugenio IV., consentientibus

etiam Graecis, solemniter definita est, quamvis isti in patriam reduces ad schisma, atque haeresim fere omnes reversi fuerint.

IX. Quod autem Graeci nobis obiicere potissimum solent, est Scripturarum testimonium, in quibus Spiritus Sanctus a Patre procedere dicitur, nulla facta processionis a Filio commemoratione. Cui tamen opportune occurrit Paschasius *Lib. II. cap. IV. quum unum sine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur, secundum illam regulam, quam antistes Augustinus insinuat: Non omnia quae tacentur, negantur;* Idque ex aliis Scripturarum locis locupletissime confirmatur, ubi quae soli Patri, aliis vero exclusis, tribuuntur, et Filio, et Spiritui Sancto convenire Graeci ipsi fatentur. Ita *Matth. XIV.* Christus inquit: DE DIE AUTEM, ET HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI CAELORUM, NISI SOLUS PATER. Et Apostolus *I. ad Corinth.* 10. QUAE DEI SUNT, NEMO COGNOSCIT, NISI SPIRITUS DEI. Quibus verbis, neque solo Patre expresso, ceterae excluduntur Personae, neque Filius excluditur solo Spiritu Sancto memorato. Cur autem non etiam de seipso procedere Spiritum Sanctum Christus expressit, diserte Augustinus explicat *Tract. XCIX. in Ioan. Si ergo et de Patre,*

et Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: De Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, et quod ipsius est, de quo et ipso est? Vnde illud est, quod ait; mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si igitur intelligitur hic eius doctrina, quam tamen non suam dixit, sed Patris: quanto magis illic intelligendus est, et de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait: de Patre procedit, ut non diceret: de me non procedit? Quod sane iterum, iterumque suadet in *XV. de Trinitate*, et in *III. contra Maximinum.*

X. Quod autem veteres Patres Graeci passim Spiritum Sanctum a Patre procedere dicunt per Filium, non est cur Graecis rebellibus aliquid facessat negotii. Opportune enim advertit S. Thomas *I. P. quaest. XXXVI. quia Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, posse dici quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est.* Nullo igitur umquam discrimine particulae *ex*, et *per* in Spiritus Sancti processione significanda usurpatae sunt, nec a Graecis Patribus tantum, sed a Latinis quoque, de quorum fide nulla potest suboriri dubitatio. Quid quod doctissimus ille in-

ter Graecos Gardinalis Bessarion in oratione de hoc argumento in Florentino Concilio habita, ad evincendam processionem Spiritus Sancti a Filio permulta quidem Patrum utriusque Ecclesiae testimonia profert, quibus Spiritus Sanctus a Patre dicitur per Filium procedere.

XI. Cavillantur autem Graeci, idque Latinis opponunt, quod si Spiritus Sanctus procedit etiam a Filio, duo erunt ipsius principia, ac duplici actione producetur. Argutationi occurrit Augustinus *Lib. V. de Trinit. cap. XIV. Fatendum est Patrem, et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia: Sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus Creator, et unus Dominus; sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium.* Quod quidem Gregorius X. in Concilio Lugdunensi summa omnium concordia Apostolica auctoritate definivit. Enimvero Pater et Filius unum sunt in iis omnibus, in quibus nulla est relationis oppositio; non opponuntur autem relative in eo, quod sunt principium Spiritus Sancti, adeoque sunt duae Personae spirantes, unica tamen spiratio, et unum principium.

XII. Tricantur praeterea in eo, quod si Spiritus Sanctus nedum a Patre; sed a Filio

etiam procederet, sequeretur eum magis a Patre distare, quam Filium. Purae putae nugae! In qualibet enim actione, egregie observat Thomas (*Quaest. XXXVI. art.* 3.) » duo esse consideranda, nimirum suppositum agens et virtutem qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre, et Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia haec virtus est una, et eadem. Si autem considerentur ipsae Personae spirantes, sic quum Spiritus Sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus Sanctus immediate a Patre procedere, in quantum est ab eo; et mediate, in quantum est a Filio; et sic dicitur procedere a Patre per Filium ».

XIII. Calumniantur denique corruptum a Latinis symbolum novo Filii additamento; ubi enim antea dicebatur *qui a Patre procedit*, nunc dicitur *qui a Patre, Filioque procedit.* Quid hoc? Vel caecis constat additamentum id vocibus, non sententiis symboli factum fuisse, nec novum dogma cusum, sed illud ipsum, perpetuo per manus Ecclesiae custoditum, novae vocis adiectione contra emergentem haeresim fuisse expressius praedicatum. Nec autem est cur opponant Synodum Ephesinam, quae in *Act. VI.* decre-

vit, nemini licere alteram fidem proferre praeter eam, quae definita est a Ss. Patribus Nicaeae congregatis cum S. Spiritu. Ea namque non vetitum, quominus pro temporum conditione nova explicatione fides sincerius teneretur, quod semper licuit, licebitque.

CAP. XVI.

DE DIVINARUM PERSONARUM MISSIONE.

I. Reliquum id est, quo universae de SS. Trinitatis Mysterio tractationi terminum imponamus, ut de Divinis Missionibus pauca adnotemus. Missio autem est origo unius Personae ab alia ad aliquid externum in temporum plenitudine perficiendum. Missionem Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre, et Filio Scripturae testantur. Christus enim de seipso ait *Ioan. VIII.* 16. EGO ENIM EX DEO PROCESSI, ET VENI; NEQUE ENIM A MEIPSO VENI, SED ILLE ME MISIT. Tum de Spiritu Sancto *XIV.* 26. QUEM MITTET PATER. Et *XV.* 26. CUM VENERIT PARACLITUS QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE.

II. Huiusmodi autem missio, quatenus processionem et originem respicit, aeterna est, et invisibilis, quatenus vero externum opus in tempore susceptum, temporalis est, et interdum visibilis, ut quum Verbum in plenitudine temporis caro factum est; et Spiritus Sanctus quum vel supra Christum in Jordane, vel super Apostolos adparuit; interdum vero invisibilis, nimirum quum Spiritus Sanctus per gratiam sanctificantem in iustorum corda mittitur, secundum Apostoli illud *ad Galat. IV.* 6. MISIT DEUS SPIRITUM FILII SUI IN CORDA VESTRA.

III. Mittitur porro Filius a Patre, mittitur Spiritus Sanctus a Patre et Filio, ille siquidem a Patre, hic a Patre et Filio procedit. Pater autem, quum innascibilis sit, et a nullo procedat, nusquam legitur missus. Vnde Augustinus *contra Serm. Arianor. cap. IV. Solus Pater*, ait, *non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus est, vel a quo procedat. Et ideo non propter naturae diversitatem, quae in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.*

IV. Quum vero nulla imperfectio in Per-

sona quae mittitur concipienda sit, sed sola processio originis, mirum illud est, cur nonnulli Patres id discrimen inter mittentem et missum aliquando ponere videantur, ut hic illi inferior sit. Sed observandum est, tunc Patres de missione Christi, prout homo erat, loquutos fuisse. Egregius est locus Gregorii Nysseni in hanc rem *Lib. de Divin Filii et Spir. Sanct. Dictum est igitur: Qui misit me, maior me est. Igitur videamus a quo haec verba proferantur. Quomodo missus est, an forma Dei praeditus, an accepta servi forma? . . . . Descensus igitur Filii Dei ad nostram humilitatem, et imbecillitatem, qui voluntate Patris accidit, missio dicitur.* Atque hinc lux adfulget Isaiae verbis *XLVIII.* 16. NUNC MISIT ME DOMINUS DEUS, ET SPIRITUS EIUS, itemque *LXI.* 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME, EO QUOD DOMINUS UNXERIT ME, AD ANNUNCIANDUM MANSUETIS MISIT ME, quibus Filius a Spiritu Sancto dicitur missus, missus nimirum missione externa, et temporali ad incarnationis opus, ut explicat Augustinus *Lib. II. de Trin. cap. V.* ubi et illud observat, eodem modo posse Verbum dici missum a seipso: *Fortasse*, inquit, *aliquis cogat, ut dicamus, etiam a seipso missum*

esse Filium ; *quia ille Mariae conceptus* , *et partus operatio Trinitatis est* , *qua creante*, *omnia creantur*. Quod dici posse e vestigio subdit : *sic ergo intelligat* , *illam incarnationem* , *et ex Virgine nativitatem* , *in qua Filius intelligitur missus* , *una* , *eademque operatione Patris et Filii inseparabilius esse factam* , *non utique inde separato Spiritu Sancto* , *de quo aperte dicitur* : *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*.

V. Quamvis autem Sancti Patres frequentius de missione externa , et temporali sermonem fecerunt , siquidem ea in Sacris Litteris frequentius memoratur ; non ideo tamen missionem Verbi , ut Deus est , umquam negarunt. Augustinus enimvero *Lib. IV. de Trinit. cap. XX.* ex quo Filius dicitur missus , nullo modo nos impediri ait , *ut credamus aequalem Patri esse Filium* , *et consubstantialem* , *et coaeternum* , *et tamen a Patre missum Filium* , *non quia ille maior est* , *ille minor* : *sed quia ille Pater* , *ille Filius* ; *ille genitor* , *ille genitus* ; *ille a quo est* , *qui mittitur* , *ille qui est ab eo qui mittit*. *Filius enim a Patre est* , *non Pater a Filio*. Quae sane non de temporali , sed de aeterna missione intelligenda sunt.

VI. Atque haec quae ex Sanctis Scripturis

ducta, ex Patribus tradita de Sanctissimo Trinitatis Mysterio dicerem, habui. Quae si intellectu capi non possunt, fide teneantur; donec illucescat in cordibus nostris ille, qui ait per Prophetam: nisi credideritis non intelligetis. Concludam autem Augustini verbis *Lib. I. de Trinit. cap. IV.* universam tractationem: HAEC ET MEA FIDES EST, QUANDO HAEC EST CATHOLICA FIDES. Vni porro, trinoque Deo, quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula. Amen.

Finis Libri II.

INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM

ERRATA	CORRIGE
Pag. 49. v. 24. at	et
62. v. 7. Christinis	Christianis
77. v. 11. 12. 14. fisin	physin
77. v. φυγατ	φυσαι
88. v. 18. fisin	physin
93. v. 5. τιδεσδαι	τιϑεσϑαι
103. v. 19. desgnatio	designatio
160. v. 16. futilasque	futilesque
178. v. 24. Zezonem	Zenonem
184. v. 14. Evangesta	Evangelista
236. v. 2. το δεο	του ϑεου
244. v. 18. SANCTS	SANCTVS

